BIBLIOTECA NAZ.
XXVII*
A
43
NAPOLI
XXVII*
a
43.
115. B .8.

VARIA
DE
VARIIS ARGUMENTIS
CARMINA

A multis è Societate JESU.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

B. R. NAPOLI

PARISIIS,
Apud Viduam SIMONIS BENARD, viâ Jacobæâ, è regione Coll. Ludovici Magni.

M. DC XCVI.

30

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM GABRIELEM DE LAGORRE'E IN SUPREMA TOLOSATUM CURIA PRÆSIDEM.

LAGORRÆE, novum Themidis decus, inclyta Pindi
Gloria, quo Muſæ, quo gaudent præſide leges;
In lucem vis ergo meas prodire columbas,
Atque renitentes dubio ſe credere cœlo.
Audaces nidis nuper volüere relictis,
Ante diem, prope tecta, breves tentare volatus:
Invalida ſedenim pennâ, juvenilibus auſis
Exciderant: ſortem miſerans in clauſtra vocavi,
Rura reviſuras nunquam: niſi fortè, vel ætas,
Vel major firmas daret experientia vires.
Ecquid inexpertis, per aperta pericula, pennis
Inſuetas tentare vias, æquiſſime Judex,
Præcipis? Ecce vides, roſtris mordacibus adſtant

Accipitres, milvique immania fata minantur.
Attamen ire jubes, tutamque relinquere ſedem.
Ite ergo carum domino pecus, ite columbæ;
Dúmque Toloſanam circum volitabitis urbem,
Si quis erit, qui vos telis petat invidus, ite,
Quò miſeros vocat auxilii ſpes certa: clientum
Turba docebit iter: vos LAGORRÆUS *amico*
Excipiet profugas mitiſſimus hoſpes aſylo.
Sin urbe in media rerum ſub mole laboret,
Nec pretioſa velit dare vilibus otia nugis:
Ite, Toloſanæ quà proximus imminet urbi
Collis, aquæ ſcatebris opulentus, & ubere glebæ.
Hic domus eſt, decore & cultu viſenda ſuperbo,
Hortis læta ſuis, gratiſſima fontibus, agro
Dives, amœna ſitu; ſed amœnior hoſpite, rerum
Grandia ſi quando deponens pondera, ſeſe
Muſarum alloquio & blandis permittit amicis.
Hic vobis locus: hic læto vos lumine lætas
Excipiet dominus, nec dedignabitur ultro
Blandiri, & veſtri curam committere nato.
Da ſtudiis, da, blande puer, melioribus annos.
Ne patri caras tamen aſpernare columbas.
Has modò parvus ama; tutabere grandior olim.
Creſce, columbinos creſcens nec deſpice mores.
Nil formæ, nil ingenio; virtutibus ætas
Una deeſt: creſces, & tecum utriuſque parentis
Creſcet amor, creſcet virtus & nomen avorum.

COLUMBÆ.

QUÆ juvet, & lætas faciat quæ cura columbas,
Quos præbere cibos, quæ præſtet ponere tecta,
Quæ ſtudia & mores, quæ ſit clementia gentis
Aggredior. Vos, docta cohors, vos ô mihi vates
Eſte boni, quotquot Latiis Grajiſque Camenis
Agreſtes dulci junxiſtis fœdere Divos.
Me veſtris ire auſpiciis, retróque relictas
Ruris opes legere, & veſtigia magna ſequentem
Exiguam ſylva è tanta date carpere laurum.
Principio ſedes, ſtatióque paranda columbis,
Urbe, domóque procul: volucrum ne dulcia turbet
Otia vicinus fragor; aut in ſepta domorum
Furtivo inſinuans ſeſe lapſu exiguus mus
Nidorum populetur opes; paſtúque reverſa
Incaſſum vacuis mater ſuperincubet ovis.
Præterea ſylvas, fluvióſque odere propinquos
Idaliæ volucres: aſpectum ſylva patentem
Eripit, aut ramis prædo defenſus iniquis
Subſidet accipiter; cœlóque frementibus Euris
Importuna cient concuſſæ murmura frondes.
Nec minus undarum nocet illætabile murmur.

Ipſa etiam fluvii vicinia ſæpe columbas
Temperie propioris aquæ, ſtudióque lavandi
Invitat dorſo puras infundere lymphas:
Unde ſuum repetens mater poſt balnea nidum,
Incubat, atque ſinus madefacta, tepentibus ovis
Vitalem tollit, quem foverat ante, calorem.
Quà molli ſenſim tumet altior aggere tellus,
Unde patet latè liber proſpectus in altam
Planitiem, modò ſit ventis impervia ſedes,
Seu Baccho veſtitus ager, ſeu conſitus herbâ,
Illic pone larem: locus optimus ille columbæ.
Marmoreis domus aſſurgat ſuffulta columnis.
Sin alios rarum marmor ſervetur in uſus,
Impenſæ parcus, communibus utere ſaxis,
Undique circundans murum: modò lubrica fallat
Lamina nitentes tecta ad ſublimia mures.
Ipſa autem ſpatiis domus haud claudatur iniquis:
Anguſtos odit volucris Cytherea penates.
Lux nimia invalidos pullorum lædit ocellos;
Sufficiuntque duæ, juſto tamen ore, feneſtræ.
Ad medium converſa diem minor altera ſolem
Excipit hibernum; medio patet altera tecto.
Neve ſubire domos milvus queat, utraque clathro
Munitur, cribrum forulis imitante rotundis.
Multi adeo muros lapidum cinxêre coronâ,
Quâ piger hiberno recreari ſole columbus
Poſſit, & exleges aptare ex ordine plumas.

Præterea muris niveam ſuperilline calcem:
Qualis enim nitidis vulgò color inſidet alis,
Talem pura ſuis ales lætatur ineſſe
Mœnibus: hoſpitium ſeu candida mœnia monſtrent;
Seu magis alliciat candentis gratia tecti.
Attamen & curas, primumque impende laborem,
Interiora domûs, nidóſque parare decentes.
Quot ſibi nidorum formas novus extudit uſus
Quis numeret! lento textos de vimine clavis
Suſpendunt alii calathos; fabrilia multi
Ligna adhibent; truncis etiam, ſaxóve cavato
Sæpe columbinos alii fodére penates.
Quæ tu cuncta procul non ſana cubilia prudens
Rejice: ſaxa febres pullis, triſtéſque podagras
Frigidiora ferunt, & lignea ſtramina turpes
Vermiculos, pulices, molli importuna columbo
Monſtra fovent. Quod tu peſtis genus omne cavebis
Si teretes ſicco finges ex imbrice nidos.
Nam furnis argilla diu durata, calores
Æſtivos, arcetque eadem penetrabile frigus,
Nec lento lapidum in morem ſudore madeſcit.
Stabit ubi perfecta domus, penetralibus hoſpes
Succedat, qui ſpe curas non fallat inani.
Namque columbarum duplex genus; altera major
Corpore, naturâ clementior, alba colore:
Aligeros habet illa pedes, ocreataque tardè
Crura movet, plumis paſſim illaqueata retentis.

At non innocuus pulchræ decor ille volucri,
Sive dapes, vel aquam ſitiens de fonte requirat.
Namque imis gradiens verrit veſtigia plumis,
Collectiſque redux mundata cubilia fœdat
Sordibus, aut teneros inimico flumine pullos
Lædit: quodque magis miſerebere, ſedula mater
Dum caro fovet ova ſinu, propiúſque tepenti
Admovet, offenſas ſi quis fragor impullit aures,
Seſe præcipiti fert in ſublime volatu
Immemor, & geminos agit extra limina fœtus.
Hæc metuens, pedibus quas Jupiter addidit alas
Tondere, & vanum poteris reſcindere luxum.
Huic non abſimilem fert Cypria terra columbam,
Quæ circum poſitis criſtato vertice plumis
Altior ingreditur, regumque inſignia jactat.

Utraque fœturæ eſt habilis; nam ſeu furit agris
Sirius, aut hiemis redit inclementia, nunquam
Cura cadit ſobolis: vix nido abiere gemelli,
Cùm redit ovorum primus labor. Hanc ego cunctis
Anteferam; ſi parcat heri curiſque, reique;
Et circum facili, gentis de more, rapinâ
Vivat agris, dum larga ſatis dat pabula tellus.

Altera mole minor, nec tam fœcunda domorum
Alta petit, gaudetque locos habitare remotos.
Non illi cicur ingenium, non candida veſtis,
Sed cineri color affinis. Non ulla moratur
Pluma pedes, non ullus apex in vertice ſurgit.

Hæc, triſti dum terra gelu riget aſpera, nullam
Pigra parens edit ſobolem: at quo tempore campi
Pabula ſufficiunt, vicino quærit inemptas
Rure dapes, parviſque parat convivia furtis.
Plumipedem hanc dicunt, ſaxatilis iſta vocatur,
Quod turres & ſaxa habitent. Si fœdera ſecum
Ambæ ineant, iiſdemque agitent ſub mœnibus
ævum,
Denſior & patribus meliore ſimillima parte
Mox tibi commixto ſurget de ſanguine proles,
Quæ parcat victu, & fœtus cum menſibus æquet.
Ergo age, quas in ſpem ſtatuis ſubmittere gentis
Elige, & ut populi ſelecta colonia ponat
Fundamenta novi, captivam claude paratis
Ædibus, & quamvis triſtem ne carcere ſolvas
Imprudens, donec primos oblita penates,
Et juſſis habitet tectis, & amoribus exſpes
Audeat indulgere novis: tum libera toto
Rure volet, portis uno poſt menſe recluſis.
Ne tamen à domibus cœlo invitante recedat
Longius, atque ſuas ſub noctem neſciat ædes
Oblitâ remeare viâ; mittatur in auras
Cùm fuerit ſubfuſca dies, vel proximus heſper.
Excurſus tunc namque breves propioribus agris
Tentabit, neque ſe nigranti credere cœlo
Auſa, novis diſcet paulatim aſſueſcere tectis.
Quas ne forte domos mutatis transfuga ſignis

Deſereret Cyprius volucris, nova caſtra ſequutus,
Moris erat veterum, foribus ſuſpendere murem
Pennatum, cæſique caput deforme juvenci;
Nec non balſameos ſtoracíſque incendere odores,
Oſtentare lupi caput, immundoſque rapacis
Ardeolæ cineres medicatis ſpargere tectis.
Conſilio melior tu larga cibaria præbe,
Alliciatque tuas ſaturum præſepe columbas.
Dives terra ſinu dum condita ſervat avaro
Semina, maturæ necdum dant pabula meſſes,
Necquicquam tunc ungue ſolum roſtroque laceſſunt,
Paſce libens, vanumque pius miſerere laborem,
Et quacumque die bis menſam appone vocatis.
Primùm ubi nona famem cœli collegerit hora;
Atque illæ rauco plangentes gutture victum
Sollicito poſcunt ſtrepitu; tum pabula rurſus
Largâ mitte manu: cum ſole cadente penates,
Et ſobolem, cœlo jam frigidiore, reviſunt.
Aſt ubi ſol medius breviores fecerit umbras,
Ne tectis ſuccede intempeſtiva daturus
Prandia, nam thalamis curent ut corpora, ſeſe
Componunt iterum, & mediâ quaſi nocte ſiletur.
Si quæ forte dapes magis arriſere columbo,
Ut viciæ, & milium, & pallentis grana cumini,
Vere dabis; nam vere cibis melioribus altrix
Mater eget, ſobolesque: hiemi ſerventur habendæ
Communes viléſque dapes; ut avena, legumen,

Et cribris excreta Ceres, glandéſque minutæ.
Sunt qui non ſtabulis, mediâ ſed corte columbas
Paſcant: ſive pecus placeat numerare, cubantis
Seu nolint matris dulcem obturbare laborem.
Si mos ille juvat, certam doceantur ad horam
Urgentem tolerare famem; dum ſibila mittas
Expectata diu, clamoſave cymbala pulſes,
Aut alliſa manu repetito verbere ſaxa
Dent ſonitum, totamque vocent ad pabula gentem.
Paret, & audito circumfluit undique ſigno,
Quamque poteſt eſcam rapit impigra quæque volucris.
Dum reliquæ paſci ſatagunt, ſi videris unam
Faſtidire cibos, triſtemque inſiſtere tectis;
Sal appone, cibi primum ſal reddit amorem.
Quod niſi & aſſiduus purgas fœtentibus ædes
Sordibus, atque procul defuncta cadavera mittis,
Incaſſum tua tecta gemes deſerta columbis;
Namque placet mundæ volucri mundiſſima ſedes.
Sæpius ergò domos purga: nec ſtercoris uſum
Sperne columbini: generoſior inde Lyæus,
Lætior inde Ceres: languentibus inde medentur
Paſtores ovibus: parcus tamen utere, vitem
Sive foves, ſeu ſtercus humo cum ſemine condis:
Urit enim vites fimus igneus, urit ariſtas.
Quod ſupereſt, milvum imprimis averte rapacem;
Milvus enim, quo non prædo crudelior alter,

Nec qui fallendi plures exerceat artes,
Moliri inſidias populo non ceſſat inermi.
Nunc medio ſeſe ſublimis in aëre librat,
Perniciem meditans, & idonea tempora captans:
Nunc ſub fronde latens, celsâ ſuper arbore, prædam
Aſpectat longè venientem: ſæpe per auras
In varios volitat, quaſi nil malè cogitet, orbes.
Heu! malè tunc volucris cœlo ſe credidit audax,
Tectáve defeſſis remeavit pigrior alis.
Namque vafer ſolam ut vidit, per inane volantem
Inſequitur; pedibuſque apprenſam eviſcerat uncis.
Quin etiam ſi quando dies ad paſcua totam
Lætior invitet plebem, cœlóque feratur
Grex denſus; medium ruit improviſus in agmen,
Attonitamque ferox fugat in contraria turbam.
Pars latet umbroſo ſaltu; pars ſumma domorum
Tecta petit; multæ dumos ſubiere; nec ipſos
(Tantus amor vitæ, tantus timor hoſtis,) apertos
Defugere ſinus hominum. Tu crimine tanto
Offenſus, cape ſaxa manu, cape ſpicula vindex;
Obſervanſque ferum plumbo, vel fige ſagittâ:
Armâque ſi deſunt, geſtu, aut clamore minaci
Infenſus terre, & diram procul ejice peſtem.
Nec minor annoſas ſtabulis avertere matres
Sollicitet te cura: Effœtæ namque columbæ
Ut lætam alterius ſobolem vidêre, benignæ
Indolis immemores, inſanos mente furores

Concipiunt, nidos populantur, & omnia vaſtant.
Quod multi ut caveant, ubi vidit Cyprius ales
Quartam hiemem (nec enim eſt plus quatuor utilis
annos)
Dant & avos, proavóſque neci, nec parcitur ulli,
Totáque mutatis cum civibus oppida mutant.
Inſanum ne tu præceps imitere furorem.
Parce, nec inſontes uno pro crimine multos
Dede neci: tanto minor eſt injuria damno.
Atque columbarum pateat quo certior ætas:
Unum, dum teneros retinent cunabula pullos,
Unguem adime, atque alium pariter reſcinde quotannis.
Queis quatuor cecidere ungues, ſeclude; tuique
Non emptis dapibus faciant convivia vernæ.
Nunc age qui mores, quæ ſit natura columbis
Expediam, levium ſpectacula grandia rerum.
Nam ſolæ ſylvis, hominum de more, relictis
Vitam agitant ſimul; atque ut habent cōmunia cives
Oppida, ſic illæ conſortia tecta frequentant.
At nulli proceres, nulli placuere tyranni,
Qui reliquum vulgus dura ſub lege tenerent.
Sed velut in primâ naſcentis origine mundi,
Cum ſcelerata trucem nondum diſcordia vultum
Extulerat, neque Mars raſtros mutarat in enſes,
Nec ſcelus ediderat Styx horrida, quiſque paternos
Exercens agros, nullo livore feraces

Alterius ſegetes, vicináque rura videbat;
Et jus cuique ſuum, ſua lex, erat æqua voluntas.
Non aliter, ſi parva licet componere magnis,
Concordes animis in eâdem turre columbæ
Innocuos ſine lege dies ſine crimine ducunt.
Omnibus una domus, quæ ſola impervia rixis
Permanet; unus ineſt amor omnibus, una voluntas.
Quæque urbes, & regna ſuis diſcordia flammis
Incendit; nunquam civilibus otia bellis
Turbavit Cypriæ volucri, nec dulcia pacis
Vincula, plebis agens mentem in diverſa, reſolvit.
Nec modo pacatis penetralibus arma quieſcunt,
Quin etiam ſtudium tot convictoribus unum eſt;
Unà omnes adeunt, redeúntq; ad paſcua: fontem,
Si ſitit una, petunt omnes: ſi tecta reviſit,
Tecta placent. Tum ſi triſtes pertæſa penates
Arva petit rurſus; volucrum per inania nubes
Pone ſubit, totoque volat denſiſſima cœlo,
Quà dux cumque viam monſtrat. Si ſegnior una
Vel tecti, vel prolis amans, comes ire recuſet;
Huic reliquæ nullâ nidos formidine credunt,
Non fraudem, non inſidias, non furta timentes.
Cum gravibus ſpicis flavos redimita capillos;
Diva potens frugum faciles quærentibus eſcas
Suppeditat, lætæ campis tunc omnibus errant;
Donec amor ſobolis, vel noctis nuntius heſper
Suaſerit ire domum, dulcéſque reviſere natos.

At cum terra riget glacialibus uſta pruinis,
Concluſæ, varios tunc intra ſepta domorum
Exercent ludos, tempúſque, & tædia fallunt.
Sævitiem ſi forte ſuam, ſi frigus, & imbres
Intermittit hiems, cœlúmque ſerenat Apollo;
Tunc avis aprico ſpatiari Cypria tecto,
Ungue fricare caput, roſtroque laceſſere plumas
Gaudet, & inſtabiles adverſo ſole colores
Fingere. Nam rubris paſſim intermixta pyropis
Nunc roſeo credas geſtare monilia collo,
Nunc carbunculeum videas ardere nitorem,
Moxque ſinu glauco virides miſcere ſmaragdos.
Sæpe etiam ſteriles, cœlo invitante, vagantur
Per campos, & humum vanis conatibus ungue
Scalpentes, tardam Cererem, frugéſque morantes
Increpitat. Si quas alia de turre columbas,
Blanditiis tum fortè ſuis in tecta ſequaces
Abduxere; novis inſtructa cubilia cedunt
Hoſpitibus, vitámque ſub iiſdem degere tectis
Invitant, ſecúmque cibis communibus uti.
Quid ſobolis referam curas, ubi ſedula mater
Undecimo matura die feliciter ova
Edidit: alternis tum mas, tum fœmina curis
Incubat; implumis rupto dum carcere pullus
Exeat, & teneros lanugine veſtiat artus.
Molliùs ut jaceant nati, ſibi vellere plumas
Inſtat amans pater: at ſalſos ut in ora ſapores

Inſpuit, atque cibi primum inſpiravit amorem;
Nec mora nec requies; labor unus utrique parenti
Largas ferre dapes, & edacem paſcere prolem.
Grandibus ut primùm, pennâ non impare, pullis
Aërias tentare vias, & quærere victum
Vis, ætáſque ſinunt; nidis tum mater adultos
Ejicit, invitóſque novæ concedere proli
Tecta jubet: triſtes abeunt, & fœdere pacto
Conjugij inter ſe ſubeunt ſacra vincla, noviſque
Prima novæ genti ponunt fundamina nidis.
Incorrupta ſui conſervant fœdera lecti;
Et nunquam, niſi conjugium mors impia ſolvat,
Quam nidi ſociam ſemel admiſere, relinquunt.
Si ſupereſt, ſponſæque videt vir triſtia fata,
Longa memor damni viduo ſuſpiria nido
Triſtis agit, lacrymis ſponſam gemitúque requirens.
Poſt ubi connubii, mortiſque exceſſit imago,
Innuptam totâ quærit de gente columbam.
Atque ut certa ſui det amoris ſigna, volantem
Aſſiduus ſequitur: querulo tum gutture flammas
Explicat, & roſtro petit oſcula, dátque viciſſim,
Tum levibus duram, ſimulatâ percitus irâ,
Increpitat pennis, & amico verberat ictu.
Sæpe ſolum verrens alâ pendente rotatur;
Sæpe gemit, teneróque procus blanditur amore:
Queis tandem victa illecebris ſi fœmina cedat,

Caſta ineunt pariter ſtabili connubia pacto.

Hæc cecini ſuper ingenio, cultúque columbæ,
Bello & pace potens placitas quo tempore leges
Attonito MAGNUS LODOIX dabat arbiter orbi.
Jamque trimpharat domitis prædonibus æquor,
Et conjuratas inimica in fœdera gentes;
Miſcuerat geminum nova per commercia pontum.
Cum majora movens animo fortiſſimus heros
Hæreticam oppreſſit peſtem, victorque volentes
Et Chriſto populos, & avitis reddidit aris.

VITES.

VITIS ament alii ſuccum, cultura poëtam
Me juvat, effoſſis ſeu vinitor ordine longo
Semina deponat ſcrobibus, cultuque frequenti
Hortetur teneras fœtu turgeſcere plantas,
Sive laborantes ulmos pendentibus uvis
Exoneret, condatque cadis ſpumantia vina.

Virgilius quondam ignaros miſeratus agreſtes
Hæc cecinit de vite, novus tamen ardor eandem
Ire viam, dubioque ſequi veſtigia curſu
Sollicitat: Vatis divini parcite manes,

Neglectas veſtra ſi quæram in vite labruſcas.
Felici meditatus agros veſtire lyæo,
Ante rudis ferro quàm tentes viſcera terræ,
Quære priùs viti faveat quæ commoda tellus,
Quo melior veniat ſub ſydere, vitibus omne
Dat pretium cœlo tellus ſubjecta ſalubri.
Qui populi ſeptem patiuntur acuta trionum
Frigora, bacchæum redimant haleco liquorem,
Pocula vel preſſis imitentur vitea pomis.
Vitiferos neque enim ſperent aſſurgere colles,
Quâ regione minas Aquilonis, & horrida Cauri
Flamina, vix pinus rigidis aſſueta procellis
Ferre poteſt, niviumque riget ſub pondere tellus.
At neque Phæbæo propiùs quæ tunditur igni
Torrida gens, curas uvis impendat inanes,
Neu Bacchum ſteriles invitum accerſat in agros.
Inter utramque plagam, Scythicum quâ mundus ad axem
Conſurgit; melior jacet arcto limite tellus
Non curis damnata, ſiti nec hiulca perenni,
Sed Boreæ alternis vicibus, Zephirique tepentis
Et pluviâ, & leni mollita ſalubriter æſtu;
Hic Baccho locus, his ultro bonus imperat arvis,
Nec regni ulterius curat protendere fines.
Non interjectas uno tamen ordine gentes
Bacchus habet, quondam ſtudiis aſperrima belli
Græcia præ reliquis placuit; Deus inde ſecutus

Romanos rerum dominos, inſigne falernis
Fecit nomen agris: lapsâ tum mole potentis
Imperii, muſto ſordentia plauſtra per alpes
Egit, & optatis gallorum conſtitit oris,
Germanos ſpernens adversâ ex parte vocantes.
Scilicet invictis ſemper (labentia retro
Sæcula ſi repetam) quæ natio floruit armis
Viſa placere Deo eſt. Tantum ne gallia munus
Sperne! latet cæcis argenti copia venis,
Æriſque, chalibiſque latent, aurique metalla,
Parcite ſed Baccho loca commoda parcite, cives,
Deſtruere, & tectas irritamenta malorum
Divitias, eiſdem ferro ſcrutare ſub agris,
Queis auro melior vitæ ſolamen amaræ
Exoritur contra curas & tædia vitis.

Quâ levis eſt tellus, auſtriſque obverſa, nec ullo,
Si liceat, lacerum pectus violata ligone,
Optimus ille ager eſt: hic peſſimus, unde furenti
Eruta ſilva manu regnis exceſſit avitis
Inviſura focos: infamem cæde recenti
Odit humum Bacchus, nec ſponte hinc pabula carpẽs
Triſtior ingratum degit ſine viribus ævum:
Vivit enim ſobolem radix ultura revulſam:
Et quamvis caput in tenues non efferat auras,
Interiora tamen dominatur, agrumque per omnem
Serpit, & immeritos ad ſe rapit improba ſuccos.
Æquior eſt cereris multos quæ terra per annos

Paruit imperio, & pingues nutrivit ariſtas.
Pendenti male firmat humo veſtigia Bacchus
Ni paries humilis toto diſcrimina clivo
Crebra facit, limum retinens, ne defluus imber
Auferat, & vallem ſecum deducat ad imam.
Quin & vitigeris juga per devexa theatris
Læta repercuſſo coquitur vindemia ſole,
Uvaque vicinis phæbum non eripit uvis.
Tales dum rapido Rhodanus petit æquora curſu,
Miratur paſſim ripis aſſurgere colles,
Et fugiens nutu dextrâ lævâque ſalutat.

Tres facies, totidem vulgo ſunt nomina viti,
Prima Toloſanis latè celeberrima campis
Colligit ingentes non longo in ſtipite vires,
Brachiaque huc illuc tendens, media ipſa tenet ſe
Aſpernata trucem boream cælique furores.

Altera quæ trunco gracilis caput altior effert:
Pondere victa ſuo jaceat delumbis, arundo
Ni teneat, vinctamque jugo ſibi ſubdat amîco.

Tertia liberius celsâ ſeſe arbore tollit,
Et tenet amplexu, ramoſque effræna per omnes
Serpit, & elatum caput inter nubila condens
Oſtentat curvos pretioſo pondere ramos.

Omnibus una ferè ſpecies, genus omnibus unum,
At non vina eadem, melior de vite jugatâ,
Quò propiore ſolo fruitur, vindemia pendet.
Caudice quæ brevior, telluri proxima, mites

Sole repercuſſo felicius excoquit uvas.
Quæ nubunt ulmis, Baccho cellaria rumpent
Ubere, ſed triſti qui torqueat ora ſapore.
Sive aër uvas ſummâ conſtringat in ulmo
Frigidior, ſolem ſive arbor opaca comanti
Impediat fronde, aut ſuccos immittat iniquos
Ipſa parens radix tot alendis fœtibus impar.
Si tamen illa tuis ſit conſita vinea campis,
Mores ne muta patrios, habitumque locorum.
Sunt & inexperti metuenda pericula cultus,
Atque aliis aliam in faciem felicius arvis
Naſcuntur vites: longo Burgundia tractu
(Uvas ne vitiet pinguis vapor humidus agri)
Elatas fixis ſudibus, furcâque ſalignâ
Suſtinet, aſt humili favet æqua Toloſa Lyæo:
Allobrogum verò cæcis in vallibus uva
Vix fruitur viſo niſi ſummâ ex arbore Phœbo.
Itala gens (ſeris quod venerit uſus ab annis
Non vitio terræ) vites ſocialibus ulmis
Connubio jungit ſtabili; per longa viarum
Intervalla ferens, viteſque ulmoſque maritat
Æquales ætate; locum nam ſtirpibus arbor
Anticipans, ſuccum naſcenti præripit uvæ,
Atque arbor cum vite, pari niſi pubeat ævo,
Non tolerat ſponſæ ramos, & pondus iniquum.
Si morbo gravis ulmus obit, vel ſegnior annis,
Connubio tu parce novo, furcâque bicorni

Et fixo viduam ſolare pedamine vitem.
Horto etiam vitis decori eſt, cum proxima tectis
Naſcitur, & raptim nitens ad ſydera, ferri
Tortilibus nodis muros captiva per omnes
Flectitur, atque jugo primis aſſueſcit ab annis:
Tum latè intendunt contos, ramoque ſequaci
Vitem ad vincla vocant: mordacibus illa ſalignas
Claviculis ſtringit crates, latéque virenti
Palmitis obtentu muros, & limina veſtit.
Sæpe per irriguos olitor non inſcius hortos,
Dum flecti dociles virgæ, dum mollior ætas,
In teſtudineum Bacchæia ſemina dorſum
Ire jubet, contra æſtivos umbracula ſoles.
Plantandi quoſcumque modos imitabere, ſemen
Ipſe leges, neque enim eſt vitium reparabile; vitis
Non habet empta fidem, & quæcumque eſt fama remoto
Miſſa loco, neſcit peregrinæ aſſueſcere terræ.
Cum rubet, & torto mitis vindemia collo
Extremis fruitur jam ſolibus, elige vitem
Si quæ oculos non longa per internodia differt,
Educat & plures, quarum ſapor optimus, uvas;
Atque ut vere novo, ſua cum ſarmenta reponet
Vinea, noſſe queas quod fertiliore notaſti
Semen agro, trunco rubeos inſcribe colores.
Quæ vero potior ſatio, quæ forma ſerendi,
Omnia divino dudum vulgata Maroni

Dicere n'l opus eſt : at quâ ratione recentem
A teneris Bacchum informes, doceaſque labori
Reſpondere tuo, paucis hæc plurima vates
Perſtrinxit rerum faſtigia ſumma ſequutus.
Ac veluti egregiâ pingendi quiſquis in arte
Nomen habet, primis habitumque ſitumque figuris
Et quæcumque operi ſeu vis, ſeu gratia, poſtquam
Indidit ipſe, rudi permittit cætera dextræ :
Sic ſpatiis vatum princeps incluſus iniquis
Et majora movens animo, quæ multa parabat
Præterit, atque aliis poſt commemoranda reliquit.
Ergo rudes huc Muſa manus, jam pullulat agris,
Jam nova primævo veſtit ſe vinea ramo.
Eia agite, Agricolæ, raſtris, duroque ligone
Prima juvate novi partus conamina ; terram
Vertite & obliquas radices cogite cœcas
Ire vias erebi, & meliorem accerſere ſuccum :
Plura ſimul primos creſcant impune per annos
Germina, nec vitis ſpes tota recumbat in uno
Palmite, poſt ternas hyemes manifeſta vigoris
Signa patent, fluxas digitis tunc denique frondes
Decuties, neque enim fœtus quos parturit, omnes
Educat, & juſto genitrix alit ubere vitis.
Quæ ratio, quæ cauſa rei, quâ lege per omnes
It ſuccus ramos, & frondes explicat arbor,
Imo age nutricis quæ tanta potentia terræ
Auget in immenſos ſylveſtria ſemina truncos

Expediam,neque enim hanc naturæ accedere partem
Dedecet, & rerum cauſas tentare latentes.

Tota recens nati ſub cortice germinis arbor,
Ut perhibent, latet in tenuem contracta figuram.
Ipſum adeo vinclis ſi vis humana ſolutis
Poſſit in exiles germen diducere fibras,
Continuo teneris ramos miretur & uvas
Involvi tunicis; atque ut puerilia membra
Explicat humano decurrens corpore ſanguis;
Non aliter pinguis terræ nutritius humor
Paulatim inſinuat ſe ſe radicibus imis,
Et ſole eductus tepido, venaſque per omnes
Diffuſus, ramis animos vegetumque vigorem
Sufficit; at Phæbi cùm ſe vis blanda remittit,
Deceditque hyemi, tum nec ſe porrigit ultrà,
Nec tumet in florem, nec partus educat arbor,
Languet iners, cecidere comæ, ſylvaſque per omnes
Horrent indecores nudato vertice trunci:
Quippe pigrum toto fundit ſe cortice frigus,
Nec via per ramos nativo libera ſucco.
Mota autem tellus, & crebro exercita cultu
Arboreoſque juvat frutices, & graminis herbam:
Molliti ſeu cæca ſoli ſpiramina laxet
Aſſidui labor agricolæ, terráque minutâ
Uberior veniat naſcentes humor in herbas,
Seu quæ terra diu tergo vim pertulit æſtus,
Verſa manu nova det fibris alimenta, ſupinas

Plurimus,

Plurimus imprimis glebas ſi diluat imber.
Ergo vocet pluviam votis, durataque foſſor
Aſſiduis diſcat renovare bidentibus arva,
Atque putans vitem duræ poſt frigora brumæ;
Provideat, matrem ne germina plura fatigent.
Si quem digna manet lenæi gloria, lunam
Conſulat; agreſtes moderatur luna labores,
Illius & vario pendet res ruſtica nutu.
Cùm ſemel amiſſos falcata recolligit ignes,
Si fuerit vitis macie confecta, putetur:
Contrà operæ præſit tumido Latonia vultu
Pinguis ubi terra eſt, ubi vinea lætior æquo
Viribus inſanis exultat, inutile lignum,
Et ſteriles fundens ſuccoſo caudice gemmas.
Nec mora, poſt vitem Saturni falce putatam
Foſſor adeſt, duroſque opera ad majora lacertos
Exerit. Umbroſo fagi ſub tegmine veſtis,
Doliolumque, & nigra ceres, viliſque ſupellex
Abjicitur, fidus ſervat canis omnia; primus
It ſenior, glebaſque movet, ſubit ordine longo
Indiſtincta cohors, operáque & paſſibus æquat.
Ille animos regit, atque interdum lumina flectens
Admonet herbarum verſas oſtendere cælo
Radices, urgere operam, dum nubila pendent,
Altiùs & ferro penetrare in viſcera terræ.
Fervet opus, mora nulla viris, alliſa bidenti
Saxa ſonant, levis in cumulos conſurgit arena,

Nudaque, defoſsâ circum tellure, Lyæi
Crura patent tepidos melius captantia ſoles.
Teſtilis interea cepas, & olentia latè
Allia fert, rapaſque viris, diſcumbitur ulmo
Sub patulâ, facit herba thoros, nec teſtea ceſſat
Amphora perque manus, per & ora calentia ferri,
Purpureos fundens reſupina in guttura fluctus.
Cœna brevis; revocant fixi tellure ligones;
Surgitur, & vires quas dant ſibi pocula, viti
Impendunt, ac vina ferat meliora precantur.
Senſit ubi primos vitis rediviva calores,
Continuò lacrymis oculos ſuffuſa tumentes
Stillanti rigat imbre ſolum, noctesque dieſque
Collacrimat. Fluidos in vaſcula cogite fletus,
Agricolæ, morbos oculorum viteus humor
Sanat, & exuſti reparat diſpendia vultus.
Vinea ne properet lacrymis imponere finem,
Et teneram ſoli dubio committere gemmam;
Hanc laudem imprudens ſibi ſervet Amigdalus, anno
Naſcenti primos, ſpem vanam, oſtendere flores.
Ipſe Aries quamvis aurato in vellere, molles
Et Zephiros agat, & veris præſagia portet,
Nulla tamen Zephiroque fides, verique tepenti:
Namque ubi ceſſit hyems glaciales pulſa ſub arctos,
Indignata fugam, retrò veſtigia torquet
Interdum, ſævoque furens circum undique flatu
Depopulatur opes quas fuderat inſcia tellus.

Cùm regnat cælo Cancer, naſcentis & uvæ
Florea lanugo divinum ſpirat odorem,
Arma manu rurſus tractare, levique ligone
Aggeribus fractis, tellurem æquare memento.
Proderit, & quæ multa virent injuſſa, nec ullam
Germina ſpem faciunt, digitis reſcindere, viti
Majores dant plagæ animos, totumque relictæ
Partitur ſoboli radix uberrima ſuccum.

At ſitiens ubi torret agros Leo, tollite frondis
Luxuriem quà parte Oriens emergitur undis,
Quàque ſuum Titan mollitus in aëra curſum
Ignipedes agit altus equos; à ſole cadenti
Denſior immites defendat pampinus uvas;
Nam veſpertinum ſi ſenſerit uva calorem,
Æſtibus areſcet nimiis, toſtique racemi
Vina injucundum referent auſtera ſaporem.
Præterea gelidis hyemem revocantibus auris,
Longa licèt duros tardent ſarmenta ligones;
Exercete viri terram; totumque per annum
Qui vineta manent triſtes avertite caſus.

Sæpe atrox inſurgit hyems, & in intima gliſcens
Membra gelu, vites interficit, ut quid inanes
Vinitor effundis lacrymas, non fletibus iſtis
Tempus eget: vano mulier terat otia queſtu,
Cura tibi melior, medicas ad vulnera vitis
Ferre manus, culpamque omnem compeſcere ferro,
Semineces truncos reſcinde, levique terebra

Rupto aditu, vivas inſertans adjice plantas:
Truncus adoptivum ſociali fœdere ramum
Excipiet, gremióque fovens alet ubere ſucco,
Atque ſuas frondes, & non ſua brachia lætus
Trudet agens, tum poſt aliquot mirabitur annos
Et plures uvas, emandatúmque ſaporem.
Sæpe ſonans agris ruit aëre grandinis imber,
Lactentes nil tale timens cùm vinea frondes
Explicuit: mollis repetito cæditur ictu
Pampinus, & longi melior ſpes concidit anni.
Tarda quidem ſed non præſentior ulla medendi
Ars erit, infenſi quam ſi jovis adjuvet iras
Vinitor, & manibus tollat quæ germina tantis
Indejecta malis ſteterint, melioribus orta
Pampinus auſpiciis, tibi mox emerget ab ipſo
Vulnere, maternos tamen haud oblita dolores.
Tunc etiam cùm læta novis jam vinea ramis
Pubeſcit, plexâ eruce ſub fonde latentes
Ova fovent, turpique inceſtant ſemine vitem,
Semeſásque comas limax cornutus inerti
Obducit ſpumâ, geminam pede contere peſtem.
Si teneræ viti formica illudit, avaræ
Gentis opes,, par cáſque domos, atque horrea verte.
Nec mora, ſecuro fodiens granaria campo
Farris inexhauſtos aliò convectat acervos.
Capra venenatis naſcentia morſibus urit
Germina, ni petulans pecus arceat horrida ſepes.

Audent & timidi lepores ſub luce maligna
Molliculas vitis furtim depaſcere frondes ;
Sulphuream prætende facem, fumóque ſequaci
Tetram averte luem, vel adacto in viſcera plumbo
Auritam Bacchi regnis procul ejice gentem.

Annoſis inſtat quoque vitibus ægra ſenectus :
Hoc ubi, languet iners effœto corpore vitis,
Nudatúmque comâ tòllit caput, aſpera rugis
Brachia ſulcantur ; nodoſo tubere tota
Prominet, exſuccas alit uvas ; horrida truncum
Deformat macies, animóſque reſumere cultu
Non valet. Ergo ſuos plantis potioribus agros
Concedens, det ligna foco quæ debita cellæ
Vina negat, propiorque novâ propagine palmes
Preſſus humi vacuis ſuccedat Sedibus hæres.
Has adhibens curas, atque hæc præcepta ſecutus.
Aſpicies largo vites diteſcere fœtu.
Purpureos autem cùm duxerit uva colores,
Dicendum quæ cura manet ſuprema colonos.

Ac primùm fera dum coquitur vindemia, Baccho
Inſtruitur domus, & vinaria vaſa parantur.
Ille omnes labor unus habet ; pars mundat olentis
Hoſpitii ſordes, & torcularia tergit :
Obductas ſqualiore lavat pars altera cupas ;
Empta recens alii medicantur vaſa, caviſque
Depromunt cellis non uno exercita vino
Dolia ; frænando renovat pars vincula Baccho ;

Molli pars ſtupâ rimas obducit hiantes,
Tum puras infundit aquas, intúſque catenâ
Fæcem agitat, putres verſo cadus ore liquores
Evomit, & ventrem repetitâ aſpergine purgat.
Instantem bacchæo operi ne fœmina ſponſum
Contempletur iners, uvis ſed cuncta legendis
Ante diem paret, & lento de vimine textos
Expediat calathos; pactâ mercede cohortem
Fœmineam conducat, agros amet, & legat uvas,
Provida quas hiemi ſervet, menſiſque ſecundis.
Interea ſuperos, & numina ſancta precetur;
Sit tranquilla dies, purúmque per aëra purus
Sol eat, & madidis aliò notus avolet alis.
Maturas pluvius quid ſæviat auſter in uvas
Vidimus heu! animis nec dum dolor excidit ægris.
Nuper enim dulces cùm jam matura ſapores
Uva daret, nigro concreſcit in aëre nubes
Horrida, quæ magis atque magis denſata, coloni
Corda novo quatit ægra metu; quid cogitet auſter
Neſcia plebs, cœlum gemitu, raucóque fatigat
Ære, ſed obſcuros non æra ſonantia nimbos,
Non gemitus, non vota fugant; ruit imber ab alto
Plurimus, & grandi cælum tonat omne tumultu.
Nec cæli fragor, & ſpatiis propioribus imber
Deciduus, nec humus ſtagnans, & inhoſpita plauſtris
Venales tenuere animas: pluvialibus uvæ
Penè putres miſcentur aquis, magnóque labore,

Sed non æquali legitur vindemia quæſtu.
Triſtis enim vino facies, vis nulla, ſaporem
Ingratum referens pejores afflat odores.
Si quis ineſt lento elicitur nunc ſpiritus igne,
Stillatum ſed & ipſe vapor denſatus in imbrem,
Frigentiſque fluens ſinuoſa per ora lebetis
Signa luis manifeſta refert; nam nec ſapit ori,
Nec ſtomacho calet, admotos nec ſuſcipit ignes.
Ne properate tamen pluvii formidine cæli,
Voſque recantatas, quibus eſt permiſſa poteſtas
In populos, pœnas indicite, ſi quis acerbos
Præproperus legat ante diem de vite racemos.
Mox ubi tempus erit notos det Tibia cantus,
Imperet & toto bacchæos rure labores.
Ac veluti miles, cùm proximus imminet hoſtis,
Intentus belli ſigno parat arma, nec audet
Injuſſas miſcere manus, niſi murmure rauco
Inſonet excitas ſtimulans cava tibia mentes.
Sic avidos ut in arma vocat vindemia cives,
Et Dioniſiaci ſignum dat buccina belli,
Ferrum omnes durâ ſubigunt in cote, viríque
Et matres armantur; eunt diverſa manipli
Per loca, ſtridentes ſubeunt, & agreſtia currus
Arma vehunt. Collo cava tintinnabula jactans
It ſonipes, latéque ſonantibus ilia vaſis
Verberat, & reſono ferit aurea ſidera pulſu.
Urget amor prædæ, campis procedit apertis

Structa acies, jámque apparent bacchæia longè
Caſtra racemiferas quadro queis ordine vites
Explicuit, viridiqué Deus munimine ſepſit.
Pampineis ſpecioſa virent tentoria velis,
Et matutinum pluvio bibit æthere rorem
Uva ſuâ ſub fronde mali ſecura futuri.
Ruſticus interea propior jam vitibus inſtat,
Foſſarúmque moras ſuperat, vepribúsque reſectis
Pandit iter, ſepéſque, & propugnacula rumpens
Spinea, ſternit humi Rhodios, Mareotides albas,
Fæciniam, argites, Pſythiámque, brevémque lagaon:
Altera comprenſas manus elevat, altera curvo
Colla ſupina ſecat ferro: non parcitur ulli.
Non omnes tamen una manet fortuna, calenti
Demerguntur aquâ, queis grandior intumet alvus;
Atque ut longa levent olim jejunia, ſoles
Ad tepidos ſiccantur, agris non pejor in ipſis
Pars avido ſub dente ſonans abſumitur eſu.
Pars Calathis delata domos ſuſpenditur altâ
De trabe, fictilibus vel conditur arctior ollis.
Accumulant alios vaſis, & fuſte tricorni
Verſatos ad præla trahunt, ubi læta juventus
Nuda pedes, paliſque manus armata madentes
Calcando ſuper inſiliunt, avidóque fluentem
Jam potant animo laticem, merſiſque bibaces
Delibant digitis, & in annua pocula ſervant.

VINUM.

HACTENUS in ſterili ſatis eluctatus arenâ;
Et fodere, & ferro lætas compeſcere vites
Edocui, falcem tractans, duróſque Ligones.
Nunc cratere manum armatus, nunc ſordida muſto
Vaſa gerens, cellas & ſubterranea Bacchi
Hoſpitia ingredior. Proh quanta ſilentia! quantus
Horror ineſt! lato pendet curvamine fornix
Luce carens, fumóque niger; ſtant ordine longo
Dolia, quæ culicum globus obſidet, atque bibaci,
Guttula ſi qua meri coſtis dependeat, ore
Sugit, & in varios circumvolat Ebrius orbes.
Bacche ſoporiferos qui languida membra per utres
Projectus, ſtrepitu procul otia ducis, inertem
Excute, quem proflas alto de pectore, ſomnum.
Fare age dic iterùm, quæ ſenſibus hauſerat imis,
Cum te ſepoſitâ quondam de rupe docentem
Audiit Aoniæ contemptor Horatius undæ.
Tu quoque, Phæbe pater, mecum per opaca locorũ
Ingredere, ignotos audax recludere fontes:
Non te Bacchæis pindi ſacra culmina cellis,
Pierioſque mero latices mutaſſe pigebit.
IMA parte dômus ſub fornice lignea vaſa,
Torcular, quernóſque lacus & labra colonus

Extruat. Æqua ſolo, & patulæ contermina portæ,
Atque racemiferis ſint obvia torcula plauſtris:
Surgat utrinque arbos in ſpiram torta, gematque
Tranſverſi valido nitens ſub pondere præli.
Grandior accipiat calcatos cupa racemos,
Et per multifores manantia vina canales
In vacuas operâ facili defunde diotas.
Horrea ſub terris lateant, quò ſirius ardor,
Inſanæ neque vis hyemis, cælive tumultus
Perveniant; nam ſi tonitru concuſſa tremiſcunt
Dolia, pallentem Bacchus formidine vultum
Induet, & nullâ color emendabitur arte.
At neque fulmineos tormenta imitata fragores
Integer, exploſos Pyrii nec pulveris ictus
Audiet, emotis neque plauſtra ſonantia vicis.

Sit veteri, ſit cella mero diverſa recenti,
Frangit enim veteris vires novus hoſpes, uterque
Laxè habitet: procul hinc remove fumoſque, fimũq;
Nec putris Arvernos prope caſeus afflet odores.
Neve cados ſuppone cadis, ut dextera rimis
Liberior ſtupam admoveat, ſi plena Lyæo
Dolia laxatâ laterum compage dehiſcant.

Cæsareis, ſi vera fides, data Meta triumphis
Urbs claro quæ nomen habet de monte, ſub ipſâ
Digna mero meliore cavat cellaria rupe.
Non opus hîc gelidis reſtinguere pocula lymphis,
Ipſa ſuo ſtupidos exurdant frigore dentes

Vina recens deprompta cadis. Devota Lyæo
Explicat in cellis totos Germania luxus.
Eſt ubi cruſtati lateant ſub marmore muri,
Atque auro Bacchi niteat veſtita ſupellex.
Læta procul pictus præbet ſpectacula fornix;
Hinc tremula ebrietas, & inertia mollis, edaces
Sub pedibus curas, regumque negotia calcant.
Hinc furor in montes bacchas agit; inde biformes
Centauri Lapithis vacuo cratere minantur.
Parte aliâ flexâ in cubitum cervice recumbit
Ennius, & ſecum dicenda recogitat arma:
Stat ſcyphus ante oculos, & turgida vena Lyæo
Carminibus fluit. Ipſe adeo cratera rubentem
Democritus mediâ retinens in morte, cadentis
Supremos animi quærit mollire labores.
Bacchus inornatis mediâ teſtudine menſis
Imperitat, currumque thoro deſpectat ab alto.
Olli venter obeſus, iners abdomine turget,
Et micat os qualis vento rubet aurea Phœbe:
Hinc poſiti calices, hinc cantharus: ebria circum
Turba ſedet nudata ſinus, ſimiliſque canenti:
Pars crinali liederâ, vernis pars floribus udum
Implicuere caput, rubeis baccata renidet
Frons papulis, oculi languent, it gutture flatus
Craſſior, & læto color enitet igneus ore.

Vana loquor: cellis alias impendite curas,
Agricolæ, neque enim auratis meliora diotis

Vina fluunt: decora ipſa loci ſint Dolia leni
Plena mero, foliis & non ſuper illita fulvis.
Si quis venalem mercabitur ære Lyæum,
Antè ſciat quo nata ſolo, quos ſordida tinxit
Uva pedes, nam pro variâ regione, ſolóque,
Non eadem eſt Bacchi natura, nec inſita virtus.
Mitis humus dat molle merum, locus editus auſtro
Fortius, invalidum campeſtris, pinguis aquoſum.
Cociacis oritur liber generoſus in agris,
Firmus Burdigalæ, Bliteræ mitiſſimus, aſper
Lutetiæ, rupes ab eremo dicta potentem,
Atque probi generat guſtus, campania mollem
Educat, auſterum Burgundia, Belna ſeverum.
Lene merum, ripis nomen quod ducit ab altis,
Cruda coquit nimium pranſis alimenta; Cadurci
Vina probant ſuccoſa, quibus tabentia pallor
Ora notat; ſi cui placeat vellauna, Neracum
Oderit, atque tuos amet idem Arvernia colles.
Græcia floret adhuc, quamvis abſtemia, Bacchi
Muneribus, ſi cura virûm telluris avitam
Excierit cultu laudem: creat Itala tellus
Ut molles animos, ſic mollia vina; feroces
Et Baccho & populis inſpirat Iberia mores.
Addit utriſque animos Germania: corpora bello,
Vináque progenerat menſis generoſa, ſenectam
Quæ ſervata ferunt, laudémque ætate merentur.

Ipſáque Delphini quondam ſignata triumphis
Dolia tempus erit plenis depromere cellis,
Mox cùm natus, avi, patríſque imitator, & hæres
Teutonicas referet victricia ſigna per oras.

Altera vina rubent, albeſcunt altera; multus
Inter rubra color diſtinguitur, optima ſunto.
Quæ carbunculeos ignes imitantia, plenis
Scintillant pateris, & lætam ſuaviter acri
Titillant ſenſu linguam. Vehementia triſtis
Calculus, & querulæ imprimis odere podagræ.
Vatibus, & placidæ ſectantibus otia vitæ
Mollia vina placent, ſtomachóque facillima vinci.
Firma nocent capiti; nodant citò muſtea nervos,
Libertas non ſera tamen redit, aſpera fraudem
Diſſimulant, linguam ſed cùm vinxere pedéſque,
Non faciles mentis reditus. Subtile palatum
Tenuia delectant, ſed habent mutabile ſemper
Ingenium, via terreſtris, curſúſque marini,
Et molles hebetant guſtus, vitiantque colorem;
Oceanus contrà, deductáque plauſtra ſeveris
Majores animos faciunt. Sic debile corpus
Obruit, & validum labor idem robore firmat.
Dulcia languentes morbo, generoſa valentes
Vina beant, violenta viros, molliſſima matres:
Alba domant frigus, ſed longum æſtate calorem
Non tolerant. Aqua pernicies candentis Iacchi,
Non eadem eſt inimica rubro: malè cauta juventus

Audiat hæc, patriis & ſobria pocula menſis
Ducat: aquam ſenibus fas eſt odiſſe, meróque
Corporis effæti vires retinere fugaces;
Affuſis ſed ament pueri frigentia limphis
Vina, nec adjectis irritent ignibus ignes.
Optima ſunt apiana, ſolo quæ nata ſalubri;
Dulcis in ore ſapor vivaxque in pectore virtus.
Sed non omnis humus feliciter educat uvam,
Quæ genus & nomen ſervet, frigentibus agris
Humentique ſolo, mellitum oblita ſaporem
Exoritur; favet huic regio Bliterenſis, & orbis
Jam canit extremus, quos Frontiniana racemos
Præla domant; miti Baccho mitiſſimus aër,
Dulciáque arva placent; atqui Bliterenſibus oris
Cæli ſeu faciem ſpectes, terræque, virûmque
Ingenium, nihil eſt toto clementius orbe.
Hinc vetus eſt vulgi dictum, ſi rurſus Olympi
Affectat ſuperas humana ſuperbia ſedes,
Providiſſe deos Bliteram, doniſque viciſſim
Ornaviſſe ſuis. Dat Jupiter aëra purum,
Sol lætos ſine nube dies, naſcentibus ultrò
Terra parens toto ſe floribus induit anno.
Non ſatis eſt oleis campos veſtiſſe Minervam,
Juſſit inexhauſtos oleum quoque currere fontes.
Littore Neptunus medios ab utroque per agros
Ad Bliteram ſibi fecit iter, mirante colono
Rura ſecare novos fluctus, montéſque per ipſos

Eoïs gravidas opibus tranſnare carinas.
Ipſe ſuas animos hominum formavit ad artes
Delius, & ſi quid ſapiunt mea carmina vatem,
Chara mihi dedit hanc cum ſanguine patria laudem

Quam varios diſcant mentiri vina ſapores
Quis referat? ſunt qui cupis uvámque, Pyrúmque
Et premere, & mixtos jubeant confundere ſuccos.
Sunt qui prævalidum ſaccis mollire Lyæum
Non dubitent, alii contrà languentia calce
Vina movent, viréſque, & dulce ſaporis acumen
Idæâ ſtimulant pice, mordacíque ſynapi.
Ille cadis Arabum meſſes infundit odoras,
Atque novum caſiâ medicatur & iride vinum.
Pelliculis alius citreis, moróque rubenti,
Quem Baccho natura negat, facit arte colorem.
Ipſæ adeò matres, ne ducant ora bibendo,
Fagineis vittis, aciníſque, undáque calenti
Auſteros didicere meri compeſcere guſtus.

Divitibus quicumque volet fucata venenis
Vina paret, tu ſinceros à vite liquores
Semper ama, medicata placent, nativáque proſunt;
Frigus, & inſomnes tamen utraque corpore morbos,
Et fraudes animis, & edaces pectore curas,
Fœdáque vaniloquis abigunt mendacia linguis.

Humanas ſcelerum labes ultricibus undis
Eluerat quondam legum non irritus auctor;
Cum pœnis iræque datum ſatis, & mare ripis

Decreſcens revocavit aquas, cælóque ſilentes
Oſtendit terras, uvæ Deus optimus uſum
Inſtituens, hominum miſeras hoc munere fovit
Reliquias, mundi ſolatus vitæ ruinam.

Tu tamen infidâ dulcedine captus, Iaccho
Ah! nimiùm ne crede, puer, nec iniqua latentum
Semina morborum juvenilibus inſere nervis.
Te dulces ſua ſive vocent in caſtra camenæ,
Martia ſeu forti jam pectore prælia verſes,
Vina time; nugas vates effutit aniles,
Si Baccho nimius; parcè ſi potus ad arma
Proſiluit dicenda, ſacro ceu numine plenus
Nil mortale ſonat, grandi ſermone ſed altos
Eloquitur ſenſus animi, ſecúmque quietâ
Pace fruens, ciet audentes in prælia dextras.
Projicit & vitam fortis poſt ſobria miles
Pocula, confertóſque ruit metuendus in hoſtes;
Atque idem nimio venas inflatus Iaccho
Vix gladium tremulus tenet, intra viſcera peſtis
Indigeſta furit, fumóſque obducit inertes.
Fluctuat in varias ſibi mens malè conſcia partes,
Stantque, labantq; pedes, humeris languentia pendent
Brachia, deformique graves ſub fronte tumeſcunt,
Et geminos oculi mirantur in aëre ſoles.
Vulgus ad hæc ſtupeat rerum portenta, latentes
Muſa doce cauſas, &, ſi licet, erue verum.

Qua ſe vi moveat, quâ ſtet compagine corpus,

Diſſipet humanos ut ſe cibus omnis in artus,
Omnia jam vulgata ſophis, ſed primus iniquum
Audeo ſocraticas in verſum cogere voces.

Sanguinis hoſpitium vehit in commune ſolutas
Lactea vena dapes; cor dein cum ſanguine vitam
Diffundit, totíque facit commercia moli.
Tùm veluti lentis Bacchi dùm maſſicus humor
Decoquitur flammis, lateri frigentis aheni
Hæret, & in tenuem ſe colligit halitus imbrem;
Non aliter toto fertur dum corpore ſanguis,
Pars levior cerebro accipitur, mentíſque ſupremo
Subditur imperio, nervos ut fuſa per omnes
Mille modis noſtros diſcriminet arbitra motus,
Inque ſuos redeat fontes, vigilémque repulſu
Admoneat, quæ res ſenſus ferit extera mentem.
Scilicet has animis æterno fœdere numen
Impoſuit leges. At munera ſi quis Iacchi
Tranſiliat, cùm ſint affinia vina cruori,
Elicitur nimius, propriis nec ſpiritus alveis
Jam capitur, nervóſque furens irrumpit in omnes,
Itque reditque frequens, turbatâque fœdera rerum
Miſcet agens, & dùm nullis per membra recurrit
Imperiis, cerebrum ſine lege, ſine ordine pulſat,
Fallacique vagam deludit imagine mentem;
Hinc animos poſt vina brevis dementia mutat,
Atque incompoſitos dant ebria corpora motus.

Ingeniis etiam tormentum lene Lyæus

Admovet, & mores hominum recludit opertos:
Nam facili bilis quibus intumet acrior irâ,
In furias & in arma ruunt, qui ſiccus inanes
Mente jocos agitat, tremulo quatit ilia riſu
Ebrius, & lacrymis oculos humectat obortis.
Balbutit ſine fine loquax, & inebriat aures.
Quippe ſuas ſequitur leges natura, viáſque
Quas nervis ſolet ire, novo violentior auctu
Spiritus ingreditur, neque mens obſiſtere contrà
Jam valet, ut pelago ſi fortè minaciter alto
Increbuere noti, cedunt operoſa magiſtri
Remigia, & fluctu vaga flectitur auſpice pinus.
Uda roſis olim veteres per tempora nexis,
Puniceum vel dente crocum, raphanoſque terentes:
Quæſierint riguos ſolamen inane per hortos.
Tu ſi quando mades vino, numerúmque lucernis
Acceſſiſſe vides, & tecta trementia volvi,
Dùm ſtomacho Bacchi tacitus deferveat ardor,
Et membris mens ſana tuis commercia vitæ
Libera reſtituat, ſi quid ſapis, occule cæcâ
Nocte probrum, facili dans languida membra ſopori:
Pœna tamen manet uſque, vigil flacceſcere nervos;
Et torpere gravi caput experiere dolore;
Hæret enim quoque ſpiritibus ſua fæcula, primos
Obducens nervorum aditus, nec lingua pedeſque
Officiis, animóque valent parere magiſtro.
Ut medeare malo, non eſt præſentius ullum

Auxilium, quàm ſi terris faba miſſa pelaſgis
Intumuit nitidos ſartagine toſta per ignes,
Tritáque mox validis intra mortaria pilis
Diluitur lympha, facilíque parabilis arte
Vulcano coquitur, donec vas pulvis ad imum
Venerit, & poſito manſueverit ollula motu:
Fictilibus rufos pateris defunde liquores,
Adde peregrinâ dulces ab arundine ſuccos,
Ora ſapore calix ne triſtia lædat amaro.
Seu longas opus eſt ſtudiis traducere noctes,
Sive graves capiti tenebras induxerit auſter,
Seu nocuere dapes, illo medicamine vates
Ingenium emendet, lætúſque infecta reſumat
Carmina, nec fontes alios, quibus ora poëtæ
Proluerint, fluxiſſe ſolo malè credat achivo.

Hæc ſatis ingenio vini, quæ multa ſuperſunt
Utiliora, novi repetens primordia muſti,
Expediam. Totis ergo vindemia campis
Cùm legitur, ſuras altè ſuccincta juventus
Adſit, & advectas nudo pede proterat uvas.

Bacchus ubi noctem cupis indormiit unam,
Parce novas uvis miſcere calentibus uvas.
Viſurus quondam poſitas trans æquora gentes,
Inſanos jam tum pelagi formetur ad æſtus,
Biſſenóſque dies labris ferveſcere juſſus,
Majores animos, & tempeſtate moveri
Neſcia corda paret; ſi concinnantur in uſus

Vina tuos, metire moram ſplendore coloris.

Cum dederit fluidos ultrò vindemia ſuccos,
Injectâ ne rurſus aquâ turgere racemis
Folliculos jubeas; lucrum non artibus illis
Grande paras, malè potus obit malè munia ſervus.
Antiquos imitare modos, prælóque madentes
Subde racemorum fæces, quæ vina ſuperſunt
Craſſa quidem, duro ſed non ingrata colono
Purpureis ibunt per torcularia rivis.

Quod ſupereſt, pulſu plenos ubi fuſa laceſſunt
Muſta cados, levibus ſtupis, & ſubere ſummum
Os operi, ſi vincla tenent fortiſſima Bacchum,
Spuma nec ilignas circumfluat albida coſtas,
Ne levis in tenues quoque ſpiritus avolet auras,
Depereátque deo robur. Deſervida motus
Ut poſuere ſuos, pacatáque vina quierunt,
Ne ſpatium ſit inane cadis, ſupplere recentes
Non pudeat lymphas, longam nam parca ſenectam
Limpha mero facit, & nimios attemperat æſtus.

Hausurus rubeos latices, ubi Dolia ferro
Quis terebrat, ſuperis aperit ſpiracula coſtis,
Circuitu quò ſe facili propè mobilis aër
Inſinuet. Solido nam cùm plena omnia cælo
Undique claudantur, ſtarent ſuſpenſa foratis
Vina cadis, niſi vis pondúſque liquoris aperta
Deſuper inſtabiles in Dolia truderet auras.

Sed quia tranſmiſſo corrumpitur aëre vinum,
Spiramenta cadi craſſo ſalis obſtrue grumo;
Si quid enim labis cælo collegerit, omnem
Exuet aura, ſalis per acerbos torta meatus.

Vere novo cùm terra ſinus tepefacta remiſſos
Arboribus frondes, animámque virentibus herbis
Suſcitat, excita turbatur fæce Lyæus,
Mutatis niſi cura fuit transfundere teſtis.
Hanc etiam cellis inimica canicula peſtem
Afflat, ubi tepido tenebroſa volumina cælo
Torquet ab auſtrali ſpirans notus humidus axe.
Continuo facies apparet lurida, triſtis
Fragrat odor, neque ſcintillans volat ignea ſurſum
Flammula, ſed pateris languet ſine robore vinum.
Humida fæce gravem purgant vinacea Bacchum,
Sed non longa ſalus: furit immedicabile morbi
Virus, & in tetros recidit mala vappa ſapores.
Si medicas abhibere manus contemnis, acere
Sponte ſines, acidi nonnulla eſt gratia vini.

Quos curare nequit potuit prævertere morbos
Vinitor, ad ſolem nudas, exſudet ut humor
Noxius, oſtendens uvas, vel aprica reponens
Tecta ſuper, dulces torto vel denique collo
Maternâ pendere ſinens de vite racemos.
Æquoreis & labra juvat detergere lymphis,
Defæcare merum ſaccis, accendere ſulphur,
Et ſuffire cados, & fundere vina, priuſquam

Sulphureos cælo revomant nova dolia fumos.
Tempeſtiva tamen niſi carpitur uva, medendo
Non tolles quos cruda feret vindemia morbos.
Hinc laudem ſperate, viri: cum ſemina ſulcis
Credere tempus erit, lætas vel in horrea fruges
Condere, rem totam liceat permittere ſervis;
Dulcia ſed rauco ſpumant cum muſta ſuſurro,
Tum domini vigiles rus & vinaria cella
Depoſcunt oculos. Toto labor utilis anno
Paucorum minuat, ſi quæ ſunt rure', dierum
Tædia; non tectis habitas in urbe ſuperbis,
Mane ſalutantum reſonas non obſidet ædes
Turba virûm, domibus ſed abeſt mala cura quietis,
Ruris & ipſa tui ſimplex natura per agros
Explicat, ars pictis quod deterit æmula muris.
Nullus adeſt teneros recitet qui mollis amores
Muſicus, auguſtis ſpectaculá nulla theatris;
Sed dulces volucrum cantus, ſed frondea curvis
Scena jugis, animo non inſidioſa voluptas.

Vos animæ mundo natæ, quos publica rerum
Cura manet, qui jura viris legéſque verendâ
Majeſtate datis; veſtri quæ furta licebunt
Temporis, hæc vobis patrióque impendite fundo.
Cùm primum rubet uva mero, clamoſa ſenatus
Jurgia, tranquillo ruris mutate receſſu;
Otia permittit Themis autumnalia, veſtræ

Quò liceat viti cellíſque imponere leges.

Tuque adeò veterum ſcriptis qui laudis amore
Pallidus inſudas, ſtudia intermitte, tuíſque
Dolia pro libris agita; quæ vina parabis
Ingenium facient, mox & tibi rure peracti
Temporis uſuras ingenti fœnore reddent.
At neqne te Bacchi ſpes unica paſcet, agrorum
Blanda quies mirâ ſaturat dulcedine mentes.

Fælix qui miſeros vitans procul urbe tumultus,
Inque ſinum villæ fugiens, ſibi cognitus uni
Obſcuros numerat riguis in vallibus annos,
Permittitque ſuis humana negotia fatis.

Nec cupidus, nec egens magno conſtantibus aulæ
Muneribus, ſua non alieno gaudia vultu,
Mœroremque trahit, viridaria culta reviſens
Novit agri fructum, rogitat quæ fertilis arbos,
Quæ fuit agricolæ juges fruſtrata ligones.
Conſita nunc propriis manibus pyra carpit & uvas;
Pomáque depreſſos curvantia pondere ramos.
Nunc legit obnixus trunco, nunc carmina condens
Miratur faciles ſecura per otia muſas.
Purpureas muſto madidus dum vinitor uvas
Colligit, & validi ſordentia plauſtra juvenci
Contentâ cervice trahunt, ſedet ipſe ſub altâ
Ilice, ſollicitóſque oculos per ſingula verſans
Urget opus, cantu volucres hæc inter amœno
Ceſſantem paſcunt animum, fontéſque propinqui

Raucisono dulces invitant murmure ſomnos.
Veſpere ſi turdus, ſi ſe ferat obvia perdix,
Occurrátve lepus canibus, quàm gaudet inemptas
Ferre dapes, leporíſque dolos narrare, per orbes
Implicitos ſeu ſigna pedum turbavit, anhelum
In ſua ſive redux veſtigia luſit amilcam.
Cætera quid referam noſtro non cognita ſæclo
Gaudia, ſemotis uni ſibi vivere curis,
Nec ſteriles hominum laudes, nec vana morari
Præmia, ſecretos ruri ſed degere cælo
Teſte dies, atque ipſa inter ſpelæa ferarum
Et ſapere, & pravos urbis dediſcere mores.

DE ARTE CONFABULANDI

CARMEN.

HACTENUS armorum ſtrepitus & fulmina belli;
Nunc placidam ſermonum artem, nun otia pacis
Blanda cano: alternis quæ mutua gratia verbis
Solamen vitæ magnum! Aſpirate canenti
Aoniæ Charites: date leni exponere tractu
Ardua, difficileſque in verſum cogere leges.
Omne adeo genus humanũ, juveneſque ſeneſque,
Matres atque viri, pueri teneræque puellæ
Colloquio indulgent. Ipſi, gens dura, coloni
Inter ſe certis animos hilarare diebus
Conſuerunt; meminere greges, pomaria, rivos;
Æſtuſque, imbreſque, aut minitantes frigora ventos.
Illum adeo placuiſſe ipſis mirabere morem,
Dura quibus natura, & muto vincta palato
Vocem lingua negat: miſeri conatibus ægris
Velle videntur, at ore abit illætabile murmur:
Signa tamen, geſtus, facies, vultuſque, oculique

Auxilio ſubeunt ; & , quà fas, voce loquuntur.
Scilicet hunc nobis natura inſpirat amorem
A teneris , hominesque docet jucunda viciſſim
Alterum in alterius ſolatia quærere dictis.
Inde hominum genus , auditis ſi credimus, olim
Diſperſi priùs, atque errantes montibus altis ;
Paulatim inter ſe certis ſub legibus ævum
Collecti duxere ; humili tum mœnia foſſa
Signavere ſolo ; primis unde oppida muris :
Hinc plenæ populorum urbes , ac maxima ſenſim
Crevêre imperia ; hinc variis diſcrimina linguis
Inducta, ut proprio diſcretæ limite gentes
Fœdera naturæ & commercia blanda foverent.

Ergo quiſquis amas producere leniter horam
Colloquio , & blandas audire & reddere voces ;
Multa adeo peragenda priùs tibi, multa cavenda.
Imprimis cave diſpliceas, laus prima placere eſt.
Ni placeas , fruſtra in partes te verteris omnes ;
Fruſtra delicias verborum , & idonea fandi
Tempora conquiras ; riſu tua dicta maligno
Excipient ; ſenſimque omnes hinc inde loquendo
Dilapſi , ſolum in medio exoſumque relinquent.

Nonne vides ? magnâ populi expectante coronâ ,
Ingratus cùm ſe orator ſolio intulit alto ;
Cùm ſpes arrectæ , linguiſque oculiſque ſiletur :
Ut primùm offenſas vox durior impulit aures :
Protinus auditor , vel ſomno ſponte gravatum

Demittit caput, aut oculis jam limina ſignat.
Totis interea pulmonibus acer anhelat
Declamator, obitque truci vacua atria viſu.
Dii meliora ferant! placeas, & amœnus ubique
Blandus ubique velim videaris, ameſque videri.
Qui vultum ad varios hominum componere vultus
Qui linguam norit, certam tenet ille placendi
Artem. Si ſenior, dicteria priſca referto,
Præteritos laudato annos, aſſurge ſedenti.
Verba facit? pende intentus dicentis ab ore.
Ingreditur? crudam, viridemque extolle ſenectam
Admirans: levibus capitur gens optima curis.
Hoc primum: ſin te juvenum circum ſtetit ardens
Turba; mihi ſubitò perſonam pone ſenilem,
Importuna tuo decedant ſeria vultu;
Sint alacres oculi, ſint labra natantia riſu
Ingenuo; ludos, choreas, convivia, cantus,
Omnia læta refer: juvenes læta omnia læti
Semper amant; triſtes odêre, odêre ſeveros.
Præterea varias quas quiſque exerceat artes
Noſſe velim: ſua cuique placent, ſua quiſque libenter
Laudari ſentit; fruitur quoque laudibus illis.
Ergo animos prudens hominum & diverſa notabis
Ingenia: hunc aulæ fulgor tenet, urbibus ille
Et ſtrepitu procul arva colit; bella horrida multos
Una juvant; Neptuni alius vada ſalſa pererrat.
Jam quid quæque ferat patria, & quid quæque recuſet,

Diſcendum. Gallis mens ignea, lentus Iberus,
Auſonii duplices, truculentâ mente Britanni,
Mitius ingenium Belgis: ſtant pocula ſemper
Plena domi, verba unde merum inter ſingula fundũt.
Hoc illis decus; hunc fortis Germania morem
Sancta colit: vocum longe illi culta venuſtas,
Sermones longe puri: modo munera Bacchi
Pura bibat, ſermonem aliis & verba relinquit:
Quæ niſi diverſis, diverſa & propria diſcas
Dividere, ac varios pro gente oſtendere mores;
Sit tibi magna licet celebris facundia Tulli,
Naſoniſque lepos, faſtidia longa creabis.

Novi ego, qui ſolers pro conditione locorum
Atque hominum variâ, varios induceret ultro
Sermones; cum militibus, cum bella profeſſis
Miles erat, caſtra & pugnas; illuſtria bello
Facta renarrabat memorans: occurreret inde
Navita; continuo mutatâ fronte marinos
Audiſſes caſus referentem, heu! perfida ponti
Æquora; tum malos, antennas, vela, rudentes,
Atque polum, atque undas, inimicaque ſidera nautis
Garriret rerum gnarus, raperetque loquendo
Attonitas mentes. Tu talem imitare magiſtrum,
Si te digna movet formoſi gratia cœtûs.

Horrida barbaries veſtro procul exulet ore,
Optatis quicumque placere. Ah! barbara nuſquam,
Aut ſelecta parum, vox excidat. Inclita quamquam

Facta refers, quamquam jucunda & dulcia narras;
Plus tibi barbara vox, plus inconcinna nocebit,
Quàm proſit fama ingenii. Civilibus ergo,
Quâ potes, illecebris animum ditare memento;
Equè tuis fugiat provincia ruſtica verbis.
Munditiem *Eugenii* ſectare, aut dulcis *Ariſti*,
Seu mare, ſeu magnis quæ danda ſilentia rebus,
Seu nexus rerum arcanos, ſeu ſtemmata regum
Inter ſe memorant; fluit ollis lactea fandi
Ubertas, puro volvuntur flumine verba.
Felix qui patriæ miſerans incommoda linguæ,
Primus barbariem & duros evellere ſentes
Edocuit! Venêre alii, cultum atque nitorem
Induxere ultro, *Veturi*, *Vaugelaſique*,
Menagii, *Patrui*, *Ablancurti*. Tuque *Buhurſi*,
Quem populi extremo certatim à limite regni,
In dubiis reſponſa rogant: tu norma loquendi,
Tu linguæ pater, illa ſuos tibi debet honores.
Eſt etiam ille labor blandis ſermonibus alter,
Cui nunquam impenſi ſatis eſt; ſumma arte tenendum
Quæ deceant, quæ dedeceant. Magis omnibus unum
Libera vox decet, ingenuo condita pudore:
Verborum curſus facilis, non tractus ab alto
Spiritus, aut graviter prolata ad ſingula anhelans.
Rem magnam! neque enim faciles natura loquendi
Omnibus eſſe vias æquè dedit. Optimus olim

Scriptor erit, calamo jocularis, lætus, abundans:
Compellas? fractis ſingultim vocibus hiſcit,
Hæret, cunctatur. Quiſquis, me judice, quiſquis
Talis eris; calamo exulta, joculare, ſed abſens:
Si præſens aderis, minuet præſentia laudem.
O fortunatum cui lingua volubilis ori eſt,
Et faciles ultro ſubeunt ad ſenſa loquelæ!
Non illum urbani cætus, mundæque coronæ
Reſpuerint: veniet ſummis jucundus & imis.
Ac licet indoctus Græca immutare Latinis,
Jucundus tamen adveniet: dum torvus abibit
Interea doctor nullo aſſurgente, ſuaſque
Mœſtus opes, ſpretaſque recondet pectore Muſas;
Judicia indoctæ miſerans dementia turbæ.
Temporibus priſcis Græca immiſcere loquendo
Mos erat, aut ſalibus conſpergere dicta latinis:
Sive inde antiquis vis adfore credita verbis
Major; ſeu veterum rudis atque incultior ætas
Externum appeteret, patrium aſpernata decorem;
At mihi majorum mores revocare vetuſtos
Ne libeat; placeat nobis ante omnia noſtræ
Ubertas patriæ: cui non certaverit uſquam
Græcia, non Latium antiquum, non quidquid ubique eſt
Sub cœlum populi, melius vel nomina rebus
Ponere, vel plures dicendo adhibere lepores.
Ergo rite tuum celebret gens omnis honorem,

Eloquii mater , mea Gallia : tu quoque plauſum
Alma feras mediis Academia condita Francis ,
Muſarum domus , & culti ſermonis origo.
Si non impoſtas Romanis montibus arces
Candentiſve tenes auguſta palatia Phœbi ,
At Lupara dudum in magna , tectiſque ſub amplis ;
Magnis auſpicibus fundata & numine regum ,
Antiquas noſtro revocaſti tempore Athenas
Cecropioſque ſales ; ut ſeſe agnoſcat in illis
Attica , deſtructum nil jam dolitura Lyceum.
Forſitan & quæ ſint vitia effugienda requiras
Conceſſu in medio : magnus per ſingula verſu
Ire labor , magnæ ambages : de corpore toto
Certa legam ; quæ prætereo , ſuppleveris ipſe
Rerum uſu longo : longus multa edocet uſus.
Sermonem non multæ artes , ſed amabilis ornat
Simplicitas , conſueta ornant & publica verba :
Ampullæ procul aut fracti compreſſior oris
Mollities , cui vox nunquam ſua : peccat uterque ;
Et qui lymphatus dulci declamat amico :
Et qui compreſſo ſtringit malè verba labello.
Deſere congreſſus , vocem in ſubſellia confer
Clamoſi quiſquis grandem geris oris hiatum :
Ah ! teneris miſerans parce auribus : aula boatus
Non capit iſta tuos : age ſaltem , dum tenet alter
Incœpto ſermone locum , cave præcipitatus
Incurras tranſversùm , incœptaque rumpere cogas :

Alternas adhibete vices : pugnabitis ambo
Si diverſa loqui, ſi tunc ſua quiſque referre
Certatim ; toto incipient contagia cœtu
Serpere, tollentur denſi omni parte ſuſurri :
Mox temere in voces confuſaque murmura vocum
Cum ſtrepitu erumpent, feriet vagus æthera clangor.
Strymoniæ quo more grues, ubi maxima plauſu
Tranſmittunt maria, aut patrii per fluminis oras
Turmatim circum volitant : ſtrepit aëre denſo
Turba volans, terræque procul pelaguſque reſultāt.
  Ridiculum ſemper famam affectare dicacis,
Argutè ſemper ſentire, & promere ſenſum ;
Semper acuta loqui. Quid enim, quid inutile porro
Perſequeris decus, & vili ambitione laboras ?
Quid miſerè torques animum? ſtultam abjice mentē,
Unde facis nonnunquam hilari ſpectacula vulgo.
Dic aliquando nihil, dic & malè ; perdere verba
Multa aude ; jactura tibi nunqum iſta nocebit.
An memorem crebro qui ſalſus acumine ludit
Ignotos, notoſque petens ? modò voce malignus
Hœret in ambiguâ ; nunc hos, nunc vellicat illos
Mordax ; nunc ſalibus, nunc acri aſpergit aceto.
Lubrica res, ac difficilis, me judice, ludus.
Qui ſemel irriſus, tacito ſub pectore vulnus
Æternum gerit, ac memores alit anxius iras,
Diſſimulans quamquam frontemque oculoſque ſerenat.

Ipſe adeo ſæpe irriſor riſu undique largo
Inſcius obruitur ; nec, publica fabula, ſentit,
Quos aliis parat, interdum in ſe vertere plauſus.
Garrulus occidit, longè fuge, crede Sabellam,
Quæ Flacco quondam juveni ſua fata retexit,
Et mota tibi funus anum prædicere ab urna.
At genus haud unum, non unius eſſe coloris
Comperias : variant ſtudio variante loquaces.
Litis amans, cui triſte forum, cui jurgia cordi ;
Obtundet varia enarrans conſulta Senatus,
Dædaleam legum ambagem, inſidiaſque forenſes :
Unde trahas litem, & divortia longa ſequaris ;
Quid tibi decedat, ſi reſpondere vadato
Diſtuleris, quando vadimonia dicere, quando
Deſerere expediat ; cauſam nunc dicere tempus,
Nunc anteſtari ; ſartum tectumque juvabit ;
O latera ! ô duri narrator pectoris ! olimque
In tales memini caſu delapſus amicos,
Arrepto circumſpiciens me tempore ſævis
Ocyus eripui manibus, fugienſque ſubinde
Reflectebam oculos, tantus me terror habebat :
Dum triſtes rabulas profugum reor agmine rauco
Uſque ſequi, trucibuſque implere ſonoribus aures.
Proximus his, vel qui peregrè luſtraverit urbes
Diverſorum hominum, primis vel ſævus in armis
Prœlia dum memorat, miles novus ; inde laborem
Æternum, & decies repetitis tædia rebus

Expectate viri : magnæ ſi mœnia Romæ
Viſa ſemel, ſermone omni tibi Roma ſonabit,
Ne dubita; flavus Tyberis, Capitolia, thermæ,
Amphitheatra, arcus, nullo poſcente recurrent.
At torvis dudum me obtutibus, ac truculento
Ad ſeſe vultu miles rapit. Hectora dicas
Grajugenûm rumpentem acies: proh! ludicra ſcena:
Ardentemque oculis & toto corpore pronum
Cernere in anguſta referentem prælia menſa,
Hîc peditum turmæ, hîc equitum: de montibus iſtis
Auriacus longo ſeſe obtulit intervallo,
Spectavitque acies: primùm hinc fuga cœpta moveri:
Hac ſequimur tergo inſtantes, ruimuſque, agimuſque
Per campos: vah! ridiculumque levemque thraſonem!
Ut te abigam, feſſuſque ultro per limina mittam,
Hiſtoriaſque tuas. Batavas, age, rumpe phalanges,
Oppida verte manu: referat ſed publica fama;
Ipſe tace: dum tu ipſe refers, tibi demis honorem.
Hactenus innocua eſt, nunc triſtior altera reſtat
Garrulitas: rictu, infandum! quæ ſæva cruento
Abſentes rodit, denteſque infigit amaros.
Fœdior haud illâ peſtis, nec acerbior uſquam
Emerſit tenebris. Vos ô! ſi nominis ulla eſt
Cura boni, ne tali animos aſſueſcite monſtro.
Ora tenete, viri; maledictis femina certet.

Quid referam, ſæva in faciem convicia durus
Qui facit? illum omnes noti ignotique rudentem
Æque horrent, fugêre omnes: imo aſpera ſæpe
Multa audit præſens, cerebroſum ſicubi quemquam
Offendit, dura frontem qui fronte retundat,
Opponatque truces ad verba procacia vultus.

Plurima præterea verſu carpenda ſevero.
Tale ad ſecretam, multis præſentibus, aurem
Pendere aſſiduè, magna & præclara ſonanti
Interdum aſſimilem: quanquam, quota ſæpius hora,
Inquiris; loqueriſque imbres & nubila cæli.
Tale & præcipitem, verbum narrantis ab ore
Præripere; aut proprias etiam ſupponere voces,
Dicta emendantem & formâ meliore novantem:
Tale etiam, cubito vicinum vellere crebro;
Ut riſum elicias, invitum & plaudere cogas:
Quanquam ſœpe animo miſeratur frigida dicta.
Veſtra quoque, ô magni, veſtra eſt hic culpa, poëtæ,
Ignoſcenda quidem, ſciret ſi ignoſcere vulgus,
Indoctum vulgus. Grandi ergo carmina geſtu
Neve omni recitate loco; ne intendite vocem
Fortiùs; ardenti ne volvite lumina vultu
Huc illuc. Rerum inſueti, experteſque furoris
Caſtalii, ſtant attoniti. Interdumque reperti,
Divini quibus ille oris ſacer impetus, & vox,
Impexumque ſupercilium, & Parnaſſia verba,
Proh! numen Phœbi ſanctum, Aoniaſque ſorores!

Certa parum ſani capitis malè ſigna putentur.
Uſque adeo quandoque nocet nimiùm eſſe poëtis!
Tandem opus in magnâ legere & ſecernere turbâ.
Quos habeas fandi comites. Ergo inſpice primùm
Pura, quibus vita, & caſti ſine crimine mores.
Afflluit incautis vitium, inſinuatque loquendo:
Irrepitque animo longa aſſuetudine virus,
Hæc ubi; concordes animos, tibi proxima quære
Pectora: concordi ſuavis cum pectore ſermo,
Jucundæque vices. Studiis qui diſſidet impar,
Vix tecum cætu pariter durabit eodem,
Vix illum ipſe feras: ſermone ac ſæpè ſub ipſo
Dum loqueris, dum tu præſentẽ audiſque videſque;
Mens aliò in dulces diſtracta feretur amicos
Hinc procul, abſenteſque videbit & audiet abſens.
Averſor querulo qui ſemper jurgia vultu
Portendit, cui plena tument præcordia bile.
Objurgantem oculum, & caperatæ nubila frontis
Quiſque fugit; fugies & tu quoque: præſtat abire
Diversùm, quàm perpetuâ contendere rixâ,
Difficilemque animum malè cauto lædere verbo.
Heu! ubi qui dictis hilarique affabilis ore,
Aut cuiquam iraſci, aut convicia reddere neſcit?
Illum non dubio metuas offendere dicto:
Diſſimulat bonus errorem, aut ignoſcit amicè,
Interpres rerum facilis. Malim indole tantâ
Inſtructus naſci, & fortunæ parva tenere
Munera; Pactolus quàm ſi mihi defluat omnis,

Moroſo tamen, & cunctos malè lædere nato.

Artis opus magnæ, magnis at ſæpe negatum
Ingeniis, animos dicto revocare jocoſo;
Colloquium cum languet iners, raræque feruntur
Hinc illinc imoque trahuntur pectore voces.
Profuit hoc multis, convertere ſeria ludo
Protinus, & feſſas aliò traducere mentes:
Sic amplæ cœnæ comis pater, arte magiſtrâ
Convivas tenet; ac primis cùm denique ſentit
Expugnaſſe famem dapibus, nova fercula curat
Supponi, ſtomachum rurſus quæ vellere laſſum,
Quæque famem poſſint & edendi reddere amorem.
Sæpe etiam injectis, vel qui paſſim urbe feruntur,
Incertis quanquam rumoribus, omnia ſenſim
Reſtituas. Equidem vidi, quos omnis amaret
Propterea cœtus. Namque ut commenta referrent
Interdum, (nec enim ſemper dare vera licebat)
Attentas tamen addebat referentibus aures
Turba ſilens: adeo ficta & commenta placebant.

Eſto quoque, tam vani naſcuntur tempore mores
Eſt qui confertâ ſenſim elanguente coronâ,
Protinus ad ſubitos peregrini pulveris hauſtus
Confugiat: (priſcum Tabago facit inſula nomen.)
Ergo procedit loculo Pandorea pyxis
Aut ebore, aut gemmis, aut fulvo texta metallo:
Quâ visâ recreati oculi, nova redditur ori
Garrulitas. Ille interea ſua munera jactat

Colloquia inſtituit. Menſis plerumque ſecundis,
Dum ſûptus coquitur ſtomacho cibus, ultima cœnæ
Vina inter, Caffæa hilarem cum pocula fumum
Læta vomunt; livibus mos concertare cavillis,
Texere ſermones: animus tum ſponte diſertus,
Tum nativa oris facundia, tùm bona dicta
Crebra volant, altoque fremunt longa atria plauſu.

Quis locus? incertum eſt: quanquam, ignes cum furit æſtas,
Quid vetat egelidâ pariter conſidere in umbrâ;
Aut riguos inter fontes? garrire licebit
Commodiùs, cælo vehemens dum frangitur ardor;
Dum cantus avium liquidi; & dum mollior aura
Lene fremit frondes agitans, ac temperat æſtum.
Talia ſectati lucorum umbracula quondam
Divinuſque Plato, & facundi Phædimus oris,
Græcorumque alii: quem morem deinde ſecuti
Auſonidæ, Graias Latio poſtquam intulit artes
Roma potens, molles Brutorum ſæpe per hortos,
Tonſilibus ſæpe in xyſtis, ſæpe ardua ſubter
Atria Scipiades, virtuſque auſtera Catonis
Viſi animos laxare, altas & ponere curas;
Et fugere in virides æſtivo à ſole latebras.

Venit hyems? dulcen ante focum ſtipatus amicis
Endromide in longâ, cultuque impunè ſoluto,
Plurima quærere amem: nunc quæ lepidiſſima mẽtes
Exhilarant, lenique agitant præcordia riſu:
Nunc quo bella loco; quas & quibus apparet armis

Oppugnare arces Lodoix ; dum callidus Anglos
Auriacus ludit, verbiſque audacibus implet :
Et luſiſſe parum eſt, Francis etiam objicit armis.
Scilicet, ut triplici Momorancius aggere valli
Semiruto, caſtra irrumpat ; tum ſtragis acervos
Accumulans, pecudum ritu tota agmina perdat :
Unde amnes mutari, altis unde hauſta ſub undis
Nerwindos æquent congeſta cadavera campos
Carloreas etiamne arces, caſtra ardua cerno
Fulminibus quaſſata ? Sabim jam mollius undis
Defluere, & Francis hinc inde horrere ſub armis ?
Omnia quæ deinceps, tum cætera facta loquetur
Poſteritas Tua nulla dies, Lodoïce tacebit
Regna memor : tu colloquiis æterna futuris
Argumenta paras : ſævos tu claſſe Britannos,
Tu Batavos, invicte, domas ; tibi littora Calpes
Aſſurgunt longè ; pavidi te flumina Rheni,
Te gelidæ tremuêre Alpes ! Salve, inclite princeps,
Regum ultor, ſpes & columen pietatis avitæ,
Relligionis honos ! Sic ô ! cœleſtibus eſto
Mutua cura tui : ſic, te duce ; Francica tellus
Uſque rebellantes circum premat ardua terras :
Sic tibi ſuccumbat Germania ; ſic ferus Anglus,
Sic Batavi ; ſic ancipiti terrâque marique
Preſſa malo, propriiſque timens Hiſpania terris;
Sic Francos quiſquis petit invidus : ut bona tandem
Otia amet domitus longè, vel territus hoſtis ;
Suſpiretque unam rerum in diſcrimine pacem.

FINIS.

AD ILLUSTRISSIMUM

ECCLESIÆ PRINCIPEM.

PETRUM DANIELEM

HUETIUM

ABRINCENSIUM EPISCOPUM.

INCLITE HUETIADE, *doctarum cura ſororum*
Aonii, præſul, gloria prima chori,
Hæc ego perpetuâ damnabam carmina nocte,
Dicebamque, meus bis moriêre Saül:
Dicebam; riſit dicentem Muſa; poetis
Nulla, inquit, damnant cum ſua, nulla fides;
Vix ea; præcipiti ſe proripit improba curſu,
Hoc ad HUETIADEN, *hoc fero, dixit, opus.*
Muſa audax, clamo, ſic notus HUETIUS *ingens;*
Siccine divini mens tibi nota viri?

Si neſcis, totas vaſto fert pectore Athenas,
Noſtra nec ingenium Gallia majus habet.
Hunc penès arbitrium Muſarum, huic credita fama eſt;
Muſa redi, & tanti judicis ora time.
Talibus incuſans revoco, fugit illa vocantem
Interea, & cœptum credula pergit iter.
Quod poſſum; profugam facili, precor, excipe vultu;
Pauca licet placeant, dic placuiſſe tamen.
Dic placuiſſe tibi, reliquis placitura putabo;
Et pretium exigui grande laboris erit.

SAÜL MORIENS

CARMEN.

FERALES pugnas, miſerandaque fata Saülis,
Utque ſibi triſtem neglecti Numinis ira
Deſperans mortem intulerit, Jonathæq; cruentum
Accierit funus, durus pater: omnia digno
Sit mihi fas verſu amplecti; ſit Numine vero
Cælicolæ magni, ſæclis memorare futuris,
Regem alto regnare polo, quem fulmina Reges
Ignea torquentem, quatientemque æthera nutu
Horreſcant, poſitoque trementes vertice adorent.
Inſtabat funeſta dies, pariterque ruebant
In bellum, & denſo complerant milite campos,
Hinc Saül, Iſacidûm ſequitur quem lecta juventus;
Inde Achis, populos Orientis, & ultima ſecum

Regna., Philiſtæaſque trahens in bella phalanges.
Jamque aderant acies, at non felicibus æquè
Utrimque auſpiciis. Cœlum clamore Philiſti
Incendunt, fremituque hoſtes id prælia poſcunt,
Increpitantque moras; contra pavor occupat artus
Iſacidis, ſegneſque metu, & vix caſtra tuentes
Pugnam horrent: miſeri pallentia Principis ora
Scilicet & mœſto interdum ſuſpiria corde
Cum lacrimis prorupta, & mens incerta futuri
Triſtibus auguriis trepidantia pectora turbant.

Ac velut, immitem trahitur cum taurus ad aram
Dux pecoris, trepidaque expectat fronde ſecurim,
Stat mœſtus: mœſti ſtantes è valle juvenci
Reſpectant herbæ immemores, queſtuſque gementis
Excipiunt longè, & gemitu cava ſaxa reſultant.
Haud aliter timido miles cum Rege dolorem
Dividit, & triſti præludit victima fato.

Sed neque tam miſerum terrent inimica Saülem
Agmina, & innumeris latè caſtra horrida pilis,
Quam diræ ſcelerum facies. Agit uſque paventem.
Sacrilego ante aras trajectus pectora ferro
Achimelech, querulaq; gemens circumvolat umbra,
Fœdatos ignes, temerataque templa cruore
Oſtendens: nec non ſtimulis ſuper urget amaris

Expulſus David, capitiſque injuria magni,
Quem tamen infelix manifeſto Numine ſentit
Promitti Regem Iſacidis, ita pandere vates.

His motus, juvenem inſidiis ubi perdere cæcis
Non datur, ipſe odio profugum inſectatur aperto.
Illum non Jonathæ fletus, non mutuus olim
Et toties juratus amor, non dextera bello
Clara movet; patriis haud ſecius exigit oris.
Demens! qui ſperet ſe fallere cuncta regentem
Poſſe manum, ſcriptaſque polo reſcindere leges.

Præterea variis animum terroribus implent
Monſtra Deûm, & mutis inſueta ſilentia templis;
Crebra licet ſacro ante aras cadat hoſtia cultro.

Mos fuit antiqua quem Relligione ſacratum
Hebræi coluêre diu, & docuére nepotes,
Ut neque ſe campis auderent credere apertis,
Neu pugnare manu; pugnæ niſi certa dediſſet
Signa Deus, tacita ſeu nocte inſomnia mittens,
Seu vatem inſpirans propior, præſagaque veris
Corda implens, cœlo ſeu monſtrans fauſta ſereno
Auguria. At clauſo ſi territus ore ſacerdos
Fata negat, ſi nulla Deus dedit omnia cœlo.
Tum verò exitium magnum populoque, Ducique
Portendi; & totis paſſim horrida funera caſtris.

Id metuens aris trepide indicebat honorem
Omnibus, & ſuperos repetita in vota rogabat;
Quem ſperet pugnæ eventum, quibus audeat armis
Tendere in adverſos; ſed nuſquam audita Tonanti
Impia vota; ſacro nequicquam ſanguine fumant,
Atque ſuis cumulata gemunt altaria donis;
Cuncta ſilent, nulla ex adytis reſponſa feruntur.
Interea pugnæ impatiens munimina circum
Alta fremit, propiuſq; hoſtis quatit agmine campos.
Ipſe animi dubius partes ſe verſat in omnes
Multa putans, varioque abreptus fluctuat æſtu:
Non ſecus ac tumidis deprenſus Navita in undis,
Cum venti rapidum volvunt mare, denſaq; pontum
Nox operit, laceris nec lucent aſtra carinis:
Anxius, exanimis, toranti lumine cœlo
Quærit iter; miſera interea ratis undique fluctu
Tunditur, & ventis nunc huc, nunc volvitur illuc.
Quid ſtruat infelix? pudor hinc, inde aſpera mentem
Torquet relligio: trepido pede caſtra relinquat
Se referens, medioque trahat bella impia regno?
Nempè inquit trepidum videat me perfidus Achis,
Fidentemque fuga, & turpi formidine captum,
Quem toties vici, & victum dare terga coëgi!
Crudeles igitur pugnas, atque ultima belli

Experiar, populumq; meo, Jonathamq; domumque
Involvam fato? ſed quæ me inſania verſat?
Quid meruit populus, quid me meaque arma ſecuti,
Quid Jonathas animo ante alios mihi carior omnes?
Cur pereat, pœnamque mei luat ille furoris?
O tu qui fidum rebus mihi nuper in arctis
Conſilium, qui portus eras, quæ te atra Saüli
Mors rapuit, Samüel, quis habet locus? ô mihi tantū
Fas miſero, vocemque iterum exaudire monentis,
Conſpectuque frui Nec me dira ulla vetarent
Monſtra, nec æterna ſqualentes nocte tenebræ:
Ultro ego te per cæca locorum, atque invia vivis
Regna ſequar, liceat ſtygias te, ſancte, per undas
Affari ſemel, atque inſtantia poſcere fata.
Sic ait, horrendumque nefas in pectore volvit
Conſcius, ut vatem jam longo in nocte ſepultum
Eruat, èque imis oracula quærat Avernis.
Ergo conceptum ſcelerata mente furorem
Quo peragat, numero ex omni, cui maxima rerum
Verborumque fides, peregrina è gente Doëgum
Clam vocat. Ille quidem ſcelerum haud rudis, impius ex quo
Inter ſacra Deûm, primoque in limine templi
Pontificum effuſo macularat ſanguine dextram:

Ad quem tum Princeps paucis ita vocibus infit ;
Curarum fide interpres, teſtiſque mearum,
Vade, age, vicinas circum mihi quære per urbes,
Nocturnis qui carminibus, virgaque potenti
Exangues imis animas excire ſepulchris
Evaleat, mihi quando aliud nil deinde relictum eſt,
Certum eſt immiti reſponſa accerſere ab Orco.
Fortè quod aſtra negant, Orcus dabit: aurea tantum
Aſtra per, & terras, & conſcia Tartara teſtor,
Si ſcelus eſt, me ſæva facit fortuna nocentem,
Invitumque adigit vetitas deſcendere ad artes.
Ille ſub hæc. Vanas animo, Rex, abjice curas,
Neu tantos tibi finge metus, ubi publica poſcunt,
Commoda, nil Regi vetitum: ſcelera, ipſa nefaſque
Sæpè juvant, faciemq; ſuam, ſua nomina ponunt:
Et votis fortuna tuis favet; En tibi tellus
Quod petis, iſta dabit. Virides prope Thaboris arces,
Quâ præcelſa jugo longè venientibus Endor
Apparet, circumque humiles deſpectat in agros,
Eſt mulier, perhibent Balaami è gente vetuſta
Progenitam, quâ nuſquam alias ſolertior ulla,
Sollicitis ægras animis depellere curas
Quas velit, & duras virgâ lenire dolores:

Illa Erebum dicto reſerat, dicto illa ſilentes
Umbrarumque domos, nigrique palatia Ditis
Emovet: ad vocem commotas ſedibus imis
Ire, redire leves animas, totumque videbis
Miſceri ante oculos, vel primo murmure Avernum;
Ergo jube, & primas ubi nox induxerit umbras,
Expuleritque diem, tua ſi mihi certa voluntas,
Huc ego te impavidus per caſtra inimica, per ignes
Tramite deducam certo: mihi namque viarum
Explorata diu latis divortia campis.
Unum oro, medius ne quis ſe opponere poſſit,
Regalem trabeam; capitiſque inſigne decorum
Depone in noctem, & vulgares indue cultus.
Sic fatur. (Sceptri quid non amor improbe cogis?)
Dicta Saül properè exequitur, capiti ipſe coronam,
Infauſtum augurium! malè detrahit, inde per artus
Perque humeros, pro purpureo circumdat amictu
Squalentem tunicam, clypeoque ex ære ſiniſtram
Implicat, & lateri plebeium accommodat enſem.
Fœlix ſi cultu ſemper latuiſſet in iſto,
Nec miſeras unquam regni tractaſſet habenas.
Atque ea dum caſtris diverſa in parte geruntur,
Obſcuruſque domo reſidet, tectuſque tenet ſe;
Opperiens tenebras, & amica ſilentia noctis:

Ecce Philiſtæo ſubitus volat agmine rumor
Fanda infanda ferens, monſtris cæleſtibus actos
Iſacidas trepidare metu, pavidoſque fovere
Nequicquam caſtra, & certæ prætendere morti:
Namque Deum, magno cujus ſub Numine pugnat
Hebræum genus, & ferro tot perculit hoſtes,
Davide expulſo pariter nova caſtra ſecutum,
Exceſſiſſe adytis, gentemque horrere nefandam.
His dictis incenſi animi: ſublatus ad aſtra
It clamor, trepide coëunt, arma, arma feroces
Ingeminant: pronoque dies ni vergat Olympo,
Irrumpant, mediiſque ferant incendia caſtris.
Ergo purpureâ cum poſtera luce rubebit
Aurora, in totas latè cava buccina turmas
Indicit ſperent pugnam, expectentque parati.
Parte alia David rumore accenſus amaro,
Irati nil ille minas, nil barbara Regis
Juſſa timens, nulli viſus per opaca locorum,
(Monſtrat enim generoſus amor) foſſamque mo-
raſque
Clam ſuperans ruit ad Jonatham: cura omnis in uno;
Stat Jonatha, huic animis, hic toto pectore inhæret
Inde ubi complexi inter ſe, lachrymaſque dedere,
Obſtupuit Jonathas, dulcique affatus amore eſt.

Nam quis te, David, juvenum audaciſſime, noſtris
Ardor agit caſtris, medioſque immiſit in hoſtes;
Sic tibi cura tui? non quæ te hinc inde pericla,
Non quæ circumſtant tot tela hoſtilia cernis?
Non venit in mentem, quæ te pater aſpera contra
Multa parat? rigidus nimium pater! excipit ille
Flens flentem, heu! animæ, Jonatha, pars; optima noſtræ,
Adventûs cauſas tu deſine velle doceri:
Nox mihi nunc teſtis, teſtis tua dextra, tuumque
Dulce caput, cœlum hoc teſtor, quôd, amice, nequivi
Longius abſentis durum perferre dolorem.
Undique convenere hoſtes. Stat cernere ferro,
Et fortè extremum, Jonatha, quod te alloquor; hoc eſt.
Saltem ſi tecum, laterique affixus amico
Pugnarem, triſtes genitor ſi poneret iras,
Si veniam culpæ annueret... quanquam ulla nocentem
Quæ me culpa facit? Jonatha, tu teſtis, inermem
Per juga, per rupes odiis accenſus iniquis
Inſequitur, vitamque furens cum ſanguine poſcit.
Me, me, hoſtem Iſacidûm inclamat, patriæque, tuiq;
At non me talem quondam videre Philiſti,
Vidit & ipſe Saül, fulvâ cum victor arenâ

Procerum, immanemque horrenda mole gigantem
Proſtravi, nitenſque ſuper lato enſe revelli
Terribili impexum ſetâ caput : indè periclis
Proh ! quibus objeci memet, quæ funera adivi !
Quæ tamen heu ! merces iſtis, quæ gratia factis ?
Quam mihi deſponſam thalamo, æterniſque jugari
Ominibus, natam eripuit, generumque recuſat,
Quem toties laudum inſigni dignatus honore eſt.
Ex illo qui me caſus, quæ me horrida jactent
Fata vides : ignotus, egens, loca devia luſtro
Expulſus patriâ, atque ipſi miſerabilis hoſti.
Ecquis erit tandem finis ? nec plura querentem
Paſſus amor, mediis interfatuſque querelis
Mœſtum, indignantem, Jonathas mulcebat amicum ;
Speraret melius, cœptiſque Deum affore juſtis ;
Speraret faciles reditus ; ſeſe omnia namque
Auſurum, lacrymis ſi patris flectere mentem
Poſſit, & accenſi reſtinguere pectoris iras.

Hæc illi inter ſe vario ſermone ſerebant.
Interea medios tacito nox humida curſus
Torquebat cœlo, ſomnoque hinc inde jacebant
Tela inter curruſque viri, conſederat ignis
Ultimus, & tardum volvebat ad æthera fumum.

At procul hinc primis egreſſi caſtra tenebris

Soli per campos, quà devia ſemita ducit,
Rex unà, diruſque comes, ſub nocte ſilenti
Ibant præcipiti greſſu, ſagamque petebant.
Jamque iter emenſi dubiam agnovere per umbram
Exoſas ſuperis ſedes. Sub rupe cavatâ
Eſt ſpecus, horrendis circum nemus imminet umbris,
Vaſta, profunda, ingens, & triſti condita nocte.
Hîc fama eſt, priùs optatis quam induceret arvis
Dilectam gentem omnipotens, longo ordine Regis
Cananidum Reges exciſa in rupe ſepultos.
Stant formæ viſu horribiles, immania quondam
Nomina, & antiquum retinent ſimulacra furorem.
Hîc domus, hîc ſtygiæ ſedes horrenda ſibyllæ,
Illa inter tumulos cœlumque diemque peroſa
Ævum agitat, totoque animas appellât Averno;
Hinc longæ audiri voces, hinc nocte ſub alta
Queſtus, & variis volitantia monſtra figuris.
Huc ubi delati: nil Rex cunctatus, in atram
Irrumpit prior ipſe domum, notiſque per umbras,
Heus! inquit, Divûm interpres, nigri oſtia Ditis
Quæ ſervas, tacitiſque adeò potes omnia regnis,
Redde animum, trepidis fer prompta oracula rebus;

Quamque peto, ad ſuperos, mihi vox tua ſuſcitet
umbram,
Illa truces volvens oculos, accerſere ab umbris,
Defunctas animas, ac rurſum ſiſtere luci,
Non dextræ mortalis opus: nec pallida ſemper
Regna patent. Sic fata ſilet, paulumque morata:
Tandem ait erumpens, nigranti quiſquis ab Orco
Fata petis, confide animis, tua vota ſecundat
Tartarus. Hæc poſtquam, ſpumanti immurmurat ore
Horrendas ſecum ambages, dein effera, anhelans,
Nuda caput, crineſque humeris effuſa ſolutos
Horrificam intendit depreſſa ad Tartara vocem,
Elyſii Manes, umbræque, animæque ſilentum,
Quæque chaos laté obſcurum, quæque arva beata
Incolitis, placidas denſo agmine linquite ripas,
Huc ruite. Extemplo circum omnia cœpta moveri,
Intremuit concuſſum antrum, diſcedit hiatu
Immenſo tellus; tum Ditis longa pateſcunt
Atria, tum varias tenebroſa è ſede videres
Ire animas. Una ante alias conſpectior omnes
Ibat, eam rutilo lux undique veſtit amictu
Circum fuſa, ingens, qualis, cum clarus ab undis
Emergit, reliquoſque obſcurat Lucifer ignes.
Agnovit vatem Saül, & formidine captus
Confeſtim

Confeſtim ad terram pronus cadit ; at procul imis
E tenebris, pavidas vox reddita fertur ad aures :
Te ne etiam, infandum ! manes turbare quietos,
Quis tantus furor ? ille humili cui talia contra
Voce refert pavitans ; ne ſævi maxime vates,
Quid facerem dubiis rebus miſer ? inde Philiſtus
Caſtra ferox armis circumtonat : hinc Deus hoſtis
Auxilium ſolitum eripuit, terretque ſilendo.
Qod te, per ſi quis noſtri tellure ſub ima
Reſtat amor, Si vos, animæ, mortalia tangunt,
Fare precor, tandemque iſtuc, quodcumque periculi eſt,
Expedias, quid fata parant, qui me exitus armis,
Quæ fortuna manet ? neque te neſcire putandum eſt.
Deſierat : contra Samüel ſic ora reſolvens
Cum gemitu ingenti, quid me fata horrida cogis
Pandere, ait, verbiſque tuos aperire dolores ?
Infelix, tibi ſæva dies, pugna aſpera pugna
Imminet, Iſacidûm ſternentur fortia letho
Pectora. Tuque adeò media inter millia duro
Enſe cades : Cadet & Jonathas. Hæc omnia belli
Hæc reſponſa tibi, per me Deus ipſe remittit :
Jamque vale, reddor tenebris. Nec plura locutus
Ima petit ; nigriſque gemens ſe immiſcuit umbris,

Horruit attonitus fatis, monituque tremendo
Ciſſeides, ſubitaque furens eſt voce ſecutus:
Quò fugis? ha crudelem Umbram! quin me quoque tecum,
Per ſtygias vivum tenebras rapis. O dolor! ô mors!
O Jonatha! primo ſucciſus flore juventæ
Enſe cades! nitidos vultus heu! barbarus hoſtis
Fœdabit gladio! quæ patrem in dura reſervas
Omnipotens? gemitu vox intercluſa reliquit
Plura locuturum. Tum verò frigidus, amens
Corruit; ad gemitum famulus ſtrepitumq; ruentis
Accurrit, dictiſque ægrum ſolatur amicis.
Quid tantum immerito permittat corda timori?
Quid vanas paveat ſpecies? pia vota furentem
Sæpius exarmaſſe Deum, & placaſſe nocenti.
Ergo noctis adhuc dum tempora, & omnia cæcis
Conduntur tenebris, properans, mora nulla, ſuorum
Caſtra petat, ſuplexque Dei per Templa, per aras
ſacra ferat veniam implorans, ſic nam fore, triſtes
Ut ſuperi ponatque minas, iramque retractent.
His paulùm revocati animi, pulſuſque parumper
Corde metus. Tacitam per noctem iter omne retexunt.
Et jam prima dies nitido albeſcebat Olympo,

Cum longâ feſſuſque viâ, feſſuſque labore,
Caſtra ſuoſque Saül conſumptâ nocte reviſit.
Ut venit, & poſitos repetit triſti omine cultus,
Ecce procul denſam glomerari pulvere nubem;
Clamoreſque virûm, hinnituſque exaudit equorum,
Æra micant, ſonuere tubæ; longè accinit æther.
Nempe Philiſtæi primo ſub lumine ſolis
Compoſitis denſi cuneis, & ſigna ferentes
Per campos hebræa petunt recto agmine caſtra,
Certi armis vallum perrumpere. Quos ubi ab alto
Proſpectans Ciſſeus tot millia circumſpexit;
Verè, inquit, verè nimium, Umbra cruenta, locuta es!
En perii, nec habent fata, horrida fata, regreſſum.
Inconſulte Saül, nunc te tua crimina terrent,
Nunc trepidas, mortemque horres, & acerba tuorum
Funera. Tum decuit magni cum ſpreta Tonantis
Imperia, & turpis merita de morte retractus,
Servatuſque Amalec... Sed quid moror? ingruit hoſtis:
Eia adſunt, rumpuntque aditus. Date tela, ruamus
In mortem. Regem, Iſacidæ, Regem ultima veſtrum
Lux vocat. Hæc dicens volat obvius, acta ſequuntur
Agmina. Tum primis ineunt certamina ſignis,
Moxque ipſam implicuere aciem: ruit ærea

Abreptus numero pater, incaſſumque furebat.
Non tulit hanc ſpeciem juvenis, ſeque ipſe per agmen
Præcipitans medium oppoſuit; micat alta coruſco
Enſe manus, te, te, Achi, petens, tibi triſtia portans
Funera: ni comitum ſubito foret obvia contra
Denſa phalanx. Coëunt ſtipati: unum omnia tela,
Unum omnes petiere manus, urgentque, premuntq;
Denſati circum, & ſtrictis mucronibus inſtant.
David ubi es? tuus en Jonathas circumundiq; telis
Obruitur. Ter fulmineo denſa agmina ferro
Dimovit, rupitque viam, per tela, per hoſtes
Impavidus, juvenem collecti hinc cominus atq; hinc,
Ter cohibent. Tum, triſte nefas! dum totus in ictum
Sublato aſſurgit gladio, gravis haſta per auras,
Horrendum ſtridens longè advolat, altaque ſedit
Pectore. Continuo roſeus de corpore pulchro
It cruor. Ipſe manu nequicquam evellere telum
Tentans, exanimis pervolvitur. Aurea clamor
Aſtra ferit, reſonant vaſto agmina barbara plauſu.
At patrem, miſerum patrem vis nulla tenere
Jam potis eſt, Jonatha occiſo; dolor, ira, furorque,
Miſtus amore furor, per ſepta hortentia telis,
Perque acies rapiunt moriturum. Sævior agris

Infremuit numquam catulo gravis urſa perempto,
Venantum cum verſa ferox in ſpicula ſaltu
Involat, & gladios prætentaque robora mandit.
Talis in adverſos miſerum tulit, impetus hoſtes,
Quáque tulit, fugiunt trepidi, mediamque dedere
Agmina ſciſſa viam, nec cuiquam accedere virtus:
Tanta mole furit, tantum trahit ille timoris.
At poſtquam dirum, infelix, tepidumque recenti
Cæde locum agnovit, Jonathas ubi morte jacebat
Stratus humi, fixumque gerens in pectore telum;
Ut triſtes ſine luce oculos, pallentiaque ora,
Heu! Patri nota ora nimis, conſpexit, ibi amens
Diriguit, cecidere animi, cecidere trementi
Arma manu, gelido vox flebilis excidit ore:
Heu! qualem, triſtis genitor, te, nate, reviſo,
Cui tantum de te liquit? prior ire ſub umbras
Debueram, Jonatha, ſed te ſequar. Hæc ubi; luſtrat
Circum oculis, qui ſe comitum per denſa ſecuti
Agmina; deſeruere Ducem; ſoluſque ſuperſtes
Armiger. Ipſe gemens, aperit jam nulla viam vis
Fide comes Nos longa hoſtes cinxere corona:
Moxque aderunt, ſævæque dabo ludibria genti.
Mortem oro, ſi qua eſt pietas, mihi fingere pectus
Ne dubita, non parva feram ſolatia mortis

Hebræa cecidiſſe manu. Sic fatus inerme
Tendebat gladio latus, in mortemque ruebat
Impatiens. Scelus ille horret, trepiduſque recuſat
Triſte miniſterium: furiis tum ingentibus actus,
Luctu amens, certuſque mori, mihi quod tua, dure,
Dextra negat, mox iſta dabit. Nate, optime nate,
Nate, patris quondam ſpes inclyta, nunc dolor
ingens,
Accipe me, vitam ecce volens, lucemque relinquo,
O patria! ô Regnum! media inter talia ferro
Incumbens, ruit in vulnus; cruor emicat alte
Purpureus. Tum longo anima indignata per auras
Cum gemitu fugit, & frigentia membra reliquit.

FINIS.

NAMURCUM

EXPUGNATUM.

CARMEN.

ERgo, ratum eſt: tibi Flandrigenæ,
LODOÏCE, quotannis
Inſignes debent Batavo ſpectante triumphos,
Nec ſatis eſt, inimica tuis quod mœnia flammis
Diſſiliant, procul AURIACUS ni ſuſpicit ignem
Infrendens, certæque refert ſecum omina cladis?
At non magnificis ſpondebat talia verbis
Concilio in magno, cùm ſeſe ediceret audax
Francigenûm in cladem fato poſcente vocari:
Se fore qui noſtros populatus milite fines
Iret ovans, mediiſque immitteret urbibus ignes:
Demens! qui fatis ſperarit Gallica fata
Vinci poſſe ſuis, Galloſque impune laceſſi.
Quâ Moſa turrigeras centum poſtquã alluit urbes

Præcipitem Sabim torrentibus accipit undis
Spumeus, & vaſtis hinc atque hinc rupibus horret:
Caſtrum antiquum, ingens, caput intra nubila
condit
Namurcum, grandis belli mora: namque canebant
Portentis actos variis, monituque Deorum
Indigenas ita ferre ſenes: ubi caſtra tenerent
Ardua Francigenæ, verſis tunc omnia fatis
Sponte ſecutura, & captivo flumine iturum
In nova vincla Moſam, primis quâ fontibus exit;
Et quâ tergeminus Batavum deſcendit in æquor.
His dudum Hiſpani monitis, molimine magno
Fatalem trepidi rupem, juga proxima rupi
Firmabant vallo triplici, totque arcibus arcem
Guillelmi lævo addiderant de nomine cives,
Infelix omen patriæque, urbique futuram.
Atque ea dum Flandris molitur Cantaber oris,
Nuntia fama volat, ruere acres undique Gallos,
Confertaſque acies totis incedere campis.
Extemplo portis trepide ſeſe agmina condunt;
Hiſpanus, Batavuſque ferox, duruſque Sicamber:
Protectique altis expectant mœnibus hoſtem.
Francorum interea campis manus ibat apertis,
Et magis atque magis properant: præit optimus
armis
Major & humano Lodoïx, cui fronde recenti
Hannonica auguſtam præcingit laurea frontem.
Ut celebres ventum, ad muros, ut ſe agmina longo

Circuitu explicuere; Moſæ tum pontibus actis
Aggreſſi frænare undas. Pater ecce ſub imo
Senſit: arundiferum ſubitò caput extulit alveo
Indignans: videt inſtructos per litora Gallos
Obſeſſas ardere arces: hîc tela laceſſit
Contemptor mortis Lodoïx, hîc fulminat armis
Philburgi domitor Delphinus; triſte Sicambris
Augurium! hîc fera bella fremit, Martemque fatigat
Aurelius: quacumque oculos circumtulit heros,
Exangues fugiunt Batavi, fugit aſper Iberus:
Et Caſſellanæ renovant opprobria pugnæ.
Parte alia tendit patriis Condæus in armis:
Cujus & adventu memorant Limburgica longe
Mœnia contremuiſſe, novis emota ruinis,
Et nemora antiqui per noctem ululaſſe Seneffi.
Obſtupuit ſæva perculſus imagine rerum
Ipſe Deus, ſtupuere undæ, ſtupuere profundis
Gurgitibus Nymphæ: tum vox laxata dolori eſt:
Heu! gentem inviſam, & noſtris fatalia ripis
Agmina! num validi rumpentes ſiſtere muri,
Num rupes potuere, altiſve undantia foſſis
Flumina? per medias arces, medioſque per amnes
Invenere viam; vires Europa coactas
Oppoſuit, totum in Gallos commovimus Orbem:
Hiſpanos, Batavoſque, Angloſque, Italoſque,
Sicambroſque,
Abſumptæ in Gallos vires; ſoli omnia contra

Ire viam, campiſque auſi ſe credere apertis;
Proh pudor! At, credo, Divi vincemur inulti
Ipſi etiam, noſtráſque dabunt ſua ſub juga ripas?
Non ita: ſunt animi, Bavaræ ſunt robora pubis
Principe læta ſuo, variis exercita bellis
Agmina. Præterea totas in prælia gentes
AURIACUS trahit: hunc ſtimulis perſtringere amaris
Nunc meditor; ruat auxilio, magno agmine Gallum
Opprimat, undantes armabo in prælia fluctus
Qua licet, & fœdis late imbribus omnia perdam.
Hæc ſimul, obſcuro ſeſe Deus aëre ſepſit
Agmina fida petens. Bruxellis forte ſub altis
Tendebant poſiti in turmas, animiſque parati,
Millia quot Danaï numquam eduxere Mycœnis
Hectoream ad Trojam: Retinet NASSAVIUS heros
Cuncta timens; animo necdum ſententia firma eſt.
Quâ tentet regione aditus, quâ Gallica primùm
Regna intret; quocumque acies & lumina tendit,
Horrendæ occurrunt ſpecies; hîc mœnia cælo
Æquata, & vaſtis defenſa paludibus arcent,
Hîc validæ exterrent acies, hîc clade recenti
Leuziacis nuper tota agmina condita campis.
Atque olli, tales agitat dum pectore curas,
Cœruleos volvens oculos, & tempora quaſſans,
Turbidus his ultro ſe vocibus obtulit Amnis,
Ceſſas, NASSAVI, ceſſas? dum fulminat arces,
Namurcas arces LODOICUS, & horridus igne

Cuncta quatit; pavidi cives pro mœnibus urbis
Vix hærent, feſſiſque vibrant tela irrita dextris.
Auxilióne carere tuos, miſeraque perire
Obſidione ſines? Quin incauta arripe caſtra,
Fer Gallis inopinum ignem, ſterne omnia victor:
Ipſe adero: totis pugnabo turgidus undis.
Reſpice ad hæc. Ego ſum vaſto quem gurgite cernis
Innumeras obeuntem arces, & culta ſecantem
Belgica, per totum late Moſa cognitus orbem.

Sic fatus repetit patrias Deus humidus undas.
Infremuit monitu Batavus: pudor, ira ſuperbum
Extimulant animum: bello ſtat quidquid acerbum eſt,
Malle pati, quàm de ſe iterum ludibria mundo
Fœda dare, & cladem procul aſpectare ſuorum.
Ergo ſigna movet. Latis exercitus arvis
Funditur; ipſe animos in Francica ſuſcitat arma:
Namurcum cinxiſſe acies: ruere omnia flammis,
Nudari Batavos, patrio ſe limine pelli
Ni caveant, celerentque ipſis occurrere Gallis.

Hæc ille: Interea muris circum omnibus inſtant
Francigenæ. Primis ſeſe urbs adaperta ruinis
Dediderat: ſuperant impoſtæ rupibus arces;
Huc verſus labor. Ipſe manu vultuque laborem
Adjuvat, & partes vigilat Lodoicus in omnes.
Ille operum cuſtos, illo duce vulnera Gallis
Ipſa placent, tendantque ultrò ad faſtigia rupis
Tela per & flammas, & ſævæ grandinis ictus,

Ni retrahat bonus, atque avidos revocare laboret
Immemor ipſe ſui. Geminis ſtat cornibus ingens
Prætentus portis agger, defendere certant
Contracti, validiſque adnixi viribus hoſtes.
Purpurei contra juvenes, regalia tendunt
Agmina, crudeſcunt pugnæ, furit undique plumbum
Magnanimoſque duces temere, & ſine nomine vulgus
Abripit; ipſe altus per mille volantia circum
Tela ibat. Nec te indictum, generoſe Tholosas,
Prætercam: tenerum grando cui plumbea corpus
Delibat Regem propter: neque vulnera certe
Ob tua te tantos animo cepiſſe timores
Crediderim, quam letiferas ne tela per auras
Auguſtum impeterent cœco in certamine pectus.
Nox ruit: intendunt vigiles, ſilet arduus æther,
Caſtra ſilent, fuſi cava per tentoria Galli
Carpebant ſomnos: medio cum tempore noctis,
Dum placidus cunctos mulcet ſopor: altus ab amne
Terque quaterque omni fragor intonat. Ilicet imbres
Prorupti glomerant tempeſtatem; humida cœlo
Flumina præcipitant. Nequicquam tegmina turmæ
Inter ſe opponunt: pervadit ad intima lapſu
Unda ruens: extincti ignes, diluta viarum
Strata, redundantes immundo humore lacunæ.
Arrectus thalamo Lodoix vaga murmura cœli
Aure legit, tacitoque volutat pectore ſecum:
Unde fragor tantus, quid vaſtos concitet imbres?

Cunctanti, celeremque animũ in diverſa ferenti,
Ecce levis denſo vibratus ab æthere fulgor
Pallentes ſcindit tenebras: tum lucida virgo
Nube vehens, rutila ante oculos in nocte refulſit:
Tempora cui circum victricia laurus inumbrat,
Auratæque crepant alæ, crepat aurea veſtis.
Et prior. Heroüm mihi maxime, cui mea dudum
Pacta fides, quem-ſum terraque marique ſecuta
Omnes per caſus; nocturnos temne fragores:
Hos tibi pro vinctis gravit[illegible]ſa percitus undis
Suſcitat: inſanum ponet ta[illegible] ipſe furorem
Mitior, & prona dominum venerabitur urna.
Nunc ſocias Batavorum acies per devia ducit
AURIACUS, meditans furtum: tu ſplendida poſt-
quam
Lux erit, inſtructos venienti opponere Gallos
Arma jube; validis porro mihi præfice turmis
Terrorem Batavi LUCEMBURGUM. Hoc duce faſtus
Dediſcet, fugietque acri concurrere Gallo
Prudens. Tu laceram nihilò quate ſegnius arcem.
Unum oro, parce ô mediis te immittere telis
Parce tuos terrere, & tantis angere curis,
O Regum decus, hoc omnis te Gallia poſcit
Hoc paſſim accenſis pro te anxia poſtulat aris.
Quid Namurcæ arces, quid Flandria tota, quid
Orbis,
Te ſemel amiſſo, tanti ſolatia luctûs,

Quid ſuperi tanto reddant mihi Principe dignum ?
Jamque vale, notas repeto Victoria turmas.
Dixit, & in verbo fulgentes explicat alas,
Et volat : herboſam qualis cum candida vallem
Deſerit, atque altos ſupra fugit Ardea nimbos.
Agnovit ſonitum alarum : tum lætus ad auras
Se tollit, tendenſque manus ita ſupplicat heros.
Dii patrii, quorum æterno ſub numine regnum eſt,
Si colui aſſiduus veſtros ego ſemper honores :
Si quæ bella volens jubeo, quæ incommoda belli
Perfero, pro veſtris ſubeoque & perfero templis,
Omina firmate, & veſtris date vincere Gallis.
Sic memorans, monſtrata facit. Vix ſplendida lucem
Aurora extulerat, delectos ordine ab omni
Ire jubet. Vadunt alacres peditumque equitumque
Haud dubiam turmæ ad palmam, ſi cominus auſit
Adverſis contra Batavus ſe oſtendere in armis.
Ipſe inter primos animis ingentibus exit
Fulmineo ſublimis equo Momorancius heros.
Illum incedentem volitantes undique Galli
Circumſtant fremitu denſo, campo arduus ipſe
Ingreditur, quantus nuper, cùm ſterneret arvis
Fleuriacis Belgarum aciem, aut ad flumina Leuzæ
Protereret, largoque undarent ſanguine rivi.
Jamque in conſpectu Batavos habet, amplaque caſtra

Deſpectat : multa Auriacus quem callidus arte
Pertentat prior, incautum ſi adducere iniquas
In fauces queat, & puro deducere campo :
Nunc alios texit curſus, aliosque recurſus
Veſtigans aditum ad muros, modo ſubdola fingit
Prælia : nequicquam, cunctatur, & excubat ardens
Omnes in partes Momorancius, huncque morando
Diſtinet ; ipſe dolis, ipſe artibus omnibus unus
Occurrit præſens ; ſimulat ſeu vellere ſigna
Fallax, impoſitis ſeu pontibus ire per amnes.
Non ſecus ac plenum ſævus Leo propter ovile
Cum fremit, atque illos aditus, nunc fervidus illos
Circuit : interea vigilans obit omnia paſtor
Arma tenens, pavidumque ſuis ab ovilibus arcet.
Quæ dum ſejunctis præſtas pulcherrima caſtris
Lucemburge, altis tandem arcibus ultima Divi
Fata parant : nequeunt muri tot tela, tot ignes,
Tot validos perferre ictus : piget irrita dudum
Fœdera Naſſavi, & finem ſperaſſe laborum.
Ipſe adeò tantùm indignans licuiſſe ; ſuiſque
Unam arcem potuiſſe diu ſe opponere Gallis,
Sublustri in nimbo delabitur æthere Mavors,
Militis os cultumque gerens, & militis arma
Francigenæ, in caſtris quales cuſtodia vulgo
Inſomnes habet, obſcura dum nocte ſiletur.
Et procul, O comites, non jam indulgere ſopori
Tempus, ait, rupta invitant cùm mœnia turmas ;

Attonitas quis mecum arces, quis ſcandere vallum
Apparat? Hæc dicens ſummi ad faſtigia muri
Evolat. Audaces tentantem extrema ſequuntur.
Et pudet in mediis comitem liquiſſe periclis.

Dum properant, ducente Deo, ſaxa aſpera paſſim
Subſidunt, ſternuntque viam: qui forte per umbras
Arma parare auſi, cœcoque reſiſtere Marte,
Funduntur. Pergunt alacres, jamque intima Galli
Clauſtra tenent. Extemplo arcis de culmine ſummo
Sub noctem audiri voces, longique ululatus.
Reſponſat mœſto de gurgite flebilis Amnis.
Reſponſant vicinæ arces, pulſataque toto
Litora circuitu. Tum vero exterritus hoſtis,
Torva tuens, totaſque putans ad ſumma catervas
Irrupiſſe, viamque adeo nullam eſſe ſalutis
Præterea: expertam toties, totieſque petitam
Haud dubitans dextram implorat. Nec, Magne, precantes
Spreviſti & juſto poteras quos perdere bello,
Vivere amas. Laceris ergo agmina languida muris
Ordine deſcendunt longo, celebrantque frequentes
Victorem Lodoïcum, altam qui viribus arcem,
Auriaco indignante, novoſque minante furores
Proruerit, veniamque bonus conceſſerit hoſti.

FINIS.

PULVIS PYRIUS

CARMEN.

Auctore FRANC. TARILLON, *Soc. Jeſ.*

PULVIS PYRIUS

CARMEN.

IGNIVOMUS quæ paſſim edat ſpectacula pulvis,
Quas poſcat conflandi artes, quibus utilis armis,
Unde fragor tantus, quæ vis innata, quis auctor,
Expediam. Vos, o ſuperûm quicumque, furentem
Fulminibus Martem inſtruitis, populoſque per omnes
Semina bellorum, & fatalia ſpargitis arma,
Munera veſtra cano, date per tenebroſa locorum
Ferre pedem, penituſque altæ intra viſcera terræ
Ardentes venas rimari, unde ignibus antra
Inarimes, Liparæque tonant, unde excita motu

Hîc etenim ſpecubus videas lapideſcere in altis
Cryſtalli in morem, hîc canæ lanuginis inſtar,
Hærere ad madidas ſubito mirabere petras.

Multi adeo effoſſum ſalſæ telluris ab imo
Eduxere aruum, tum lento è vimine qualos
Expediunt, laticesque ferunt à flumine puros;
Nec mora, ductus ager, repetitæ aſpergine lymphæ
Diluitur, grandes abeunt per vimina rivi:
Inde ubi, quæ ſalſos ſecum abſtulit unda ſapores
Eluctata omnis, ſubjectis ignibus ardens
Excoquitur; volat obſcuras vapor ater ad auras:
Nec requies, quin ſalſum imo ſubſidere nitrum
Paulatim,& niveam advertas concreſcere maſſam.

Nec tibi prætcrea curâ leviore parandum
Sulphur, eo præſente ardens quoque flamma relucet
Pulvereo in cumulo, languet ſine ſulphure pulvis.
Hôc ego terrificum ſciſſo ruere æthere fulmen
Sponte rear; ſimul intonuit, ſimul igne coruſcans
Diſſiluit nubes, late loca ſulphure fumant,

Sulphureos paſſim videas albeſcere tractus.

Quod ſupereſt, ſeu ſylva nucem, tiliáſve comantes,
Seu glaucam ſalicem, vel amicam vitibus ulmum
Obtulerit, duro ramalia decute ferro,
Mitte focis, udumque vorax ubi flamma virorem
Coxerit, è tepidis lectus tibi carbo favillis,
Sulphuris immodicos, nitrique attemperet æſtus:
Ni facias, fruſtra in ventos ſe effuderit omnis
Impetus, & volucres nequicquam incenderit auras.

Omnia quæ poſtquam tibi erunt proviſa, capacem
Quære locum, ſedeſque procul tibi tuta paretur
Quo nullus flammis aditus: nam pabula flammæ,
Tenuis ubi patuit male juncto rimula ſaxo,
Ilicet arripiunt, avulſaque ſedibus imis
Tecta volant totoque ferunt incendia cælo:
Qualia Taurinis nuper, cum vindice flamma
Mœnia, convulſæque abiere in ſidera turres.
Id metuens, medio vel flumine, ſicubi tellus

Prominet, atque altis circumundique cingitur
undis,
Monte vel aerio ſedem elige, ſedibus iſtis
Tutius avertas infandam à pulvere peſtem.
Continuo durum crebro mihi verbere ſulphur,
Carbonem, rigidum que terat mola ſaxea nitrum
Cum ſonitu, vaſtiſque procul gemat ictibus æther;
Impoſitas veluti tundit quando area fruges
Æſtate in media, Saxove ſubacta molari,
Prædura in tenues abeunt frumenta farinas,
Saxa ſonant attrita, ſonant crepitantia farris
Grana, repentinum dat machina pulſa ſonorem;
Interea puras, nuſquam mora, fontibus effer,
Atque undas operi ſuper injice; ſcilicet undis
Concretum abluitur vitium, ſimul acrius ignem
Nitra bibunt, volucremque ferunt cita ſulphura
flammam.
Non aliam ob cauſam, ſiquando illotus adhæſit
Sulphuribus, nitriſve humor, cum ad prælia
ventum eſt,
Cum permixtæ acies, ac plumbeus ingruit horror,

Sæpius ardentes medio certamine pulvis
Deficit, in que ipſo malefidus deſerit ictu :
Aſpera tum cœdes oritur ; mala funera Mavors
Addenſet, tum fractæ acies, lacerique manipli
Diffugère, volat piceis mors horrida pennis.
Juverit & calido madefactam opponere ſoli
Sulphuream ſegetem, radiis ſenſim acribus uda
Siccatur, cælo madidus ſenſim avolat humor :
Namque haud ulla magis nitrorum robora peſtis
Debilitat, quam pulvereis cum ſe humor acervis
Furtivo inſinuat lapſu, quippe omnia ſenſim
It penetrans, tacitoque volutus ad intima greſſu.
Haud mora, per totam viſus ſe effundere molem ;
Inde neque éffœtis flammas quiſquam addere nitris,
Humorem aut penitus valet expurgaſſe nefandum,
Verum etiam longo ſiquis poſt tempore totum
Abſtulerit, non vis eadem, glomerataque granis
Grana hærent, ſœvis poſthac nec idonea bellis,
Mœnibus & grandes numquam illatura ruinas.

At neque erit cunctis idem impetus, hic tibi fumo
Illudet, ſemperque ſcopo diverſus abibit;
Ille ardens quoſcumque voles, tibi cedet in uſus
Promptior, & rectos, nuſquam mora, perferet ictus.
Atque hos ut certis valeas dignoſcere ſignis,
Tale dabunt ſpecimen, tu longo ex ordine grana
Sparge ſolo, atque ſuper flammam injice: ſi rapit ignem
Protinus, & nullus ſignat veſtigia nigror:
Hic tibi, cum patriæ tendes bellator in hoſtem;
Cum ſpumantem aprum, aut celerem venabere damam,
Præſto aderit, tu numquam illo fallente, dolebis
Ereptam è manibus prædam, nec ſe tibi campis
Impune armato contra ferat obvius hoſtis.
Nec non qui fuerit pulvis malus, id quoque promptum
Diſcere, quem poſitos rapientem ſegnius ignes
Videris, aut nigros digito tractante redactum
In cineres, atroque notantem ſingula tractu,
Hôc tibi ne libeat violenta laceſſere bella,

Ne ſylvis agitare feram; namque improbus ignem
Sæpe negat, tenui ſæpe aſſiliente favilla,
Ante expectatum glandem excutit, & male cautum
Perfidus ah! dominum, nec opino funere mactat.
Ergo agite, igniferæ tangit quos gloria meſſis,
Sinceram (repetens iterumque, iterumque monebo)
Sinceram legite, hinc omnis fiducia belli,
Hinc ſpes pugnantum, rapidis hinc mænia flammis
Vertuntur, fugère acies, tellusque dehiſcens
Tartareas aperit fauces, furit æſtus ad auras.
Non ne vides, latis poſtquam cava buccina campis
Inſonuit, Martiſque refert cum vere labores,
Ut ſtrages paſſim inſolitas, ut funera pulvis
Mille ferat, cælumque fremens tonet omne tumultu?
Nonne vides, obſeſſa urbis cum mœnia circum
Funditur, & longum in turmas ſe dividit agmen,
Francigenæ quo more ſolent, quando arduus alto

Ingreditur campo Lodoix, ſive ille Namurci
Caſtra ſuperba petit, ſeu magnas territat urbes
Fulminibus, repetens pænas? Poſtquam aggere
cincti,
Obſtructique aditus, ruere ilicet omnia vaſto
Cum ſtrepitu, murique labant, volat horrida cælo
Miſſilium nubes: flamma undique, & undique
fumus.

Eſt ingens, tota è rigido conflata metallo
Machina, Tormento nomen fecere priores,
Raucum, immane tonans, quâ totis perdita campis
Agmina diffugiunt, rumpuntur ſaxa fragore:
Illa in præruptam ſi quando intenditur arcem,
Aut ſtructas campis acies, ubi flamma reluxit
Fomite in extremo, furit intus, & ignea longe
Maſſa volat, turreſque altas, lapideſque, homi-
neſque
Miſcet agens, totaſque uno ruit impete turmas.
Fulmine non alio ſupera quondam arce gigantas
Dejectos, latiſque orbem ſtraviſſe ruinis
Crediderim, partu cum tellus rupta nefando,

Enceladum cælo effudit, ſævumque Typhæa
Dira patens : centum ille manu ſimul arma movebat,
Arduus, in cælum minitans ; bis fulmine turbam
Immanem , monteſque altos pater ipſe Deorum
Subruerat, bis ſtrata ſolo rediviva reſurgunt
Agmina , bis verſos retulere in prælia montes ;
Tertia ſed poſtquam valido tela ignea niſu
Contorſit , dant ſe in præceps , avulſa ſequuntur
Culmina , culminibus ; caſu late excita tanto
Dat gemitum tellus, ambuſtaq; membra reſorbet.
Eſt etiam à bombi cognomen adepta ſonore
Bomba,malũ obſeſſis quâ non funeſtius ullum eſt
Urbibus: ardenti maſſa ænea fuſa camino
Concreſcit , formamque cavi ſenſim induit orbis:
Inde per anguſtum , quâ pervia facta , meatum
Paulatim ignitus vægrandem pulvis in alvum
Ingeritur , tereti que ſuper levis ære canalis ,
Vivacem inſertus deducit ad intima flammam.
Nunc age , vis quæ tanta ferat , quiſve impetus illam

Inſuetum per iter, præcelſaque nubila cæli
Ejaculet? Pro vallo arcis, gravia undique juſto
Æra locant ſpatio, mortaria nomine vulgo
Dixere, horrificas ſeu quod flammantia mortes,
Exitiumque vomunt, ſeu, quod reor, illa mo-
dumque,
Et mortarioli referunt liquefacta figuram.
Illa alto ſtant firma ſolo, tum deſuper olla
Ingens, ære gravis, nitroque impleta locatur,
Ore imam verſa in partem, exitioque parata:
Subjecto interea vix nitro apparuit ignis,
Fit ſonus: illa volans celeri velocior Euro
Tollit ſe in nubes, rutilo via tramite fulget
A tergo, longumque trahit, toto æthere ſulcum.
Tum ſuperas emenſa vias, ubi certa per altum
Confecit ſpatia, & juſſâ ſuper aſtitit arce,
Anceps, ſuſtentata diu, ſævum uſque minatur
Excidium, proprio donec ſe pondere ad ima
Præcipitem devoluit, at horridus inſonat omni
Urbe fragor, dant ſaxa viam, tabulata fatiſcunt,
Peſtis & ad ſedes penetrans perlabitur imas.

Heu ! male tum miſeros defendunt mœnia cives,
Tam multas ſpargit crepitans circum undique mortes
Ignea vis, pariterque viri, pariter domorum
Rudera præcipitant, hîc vaſto pondere turrim
Nutantem horreſcunt, hîc celſo vertice nubes
Quæ ſuperat, lateri affixam ſpecula ardua flammam
Oſtentat, mox ipſa trahit labefacta ruinam,
Et ſtrepitu cadit horrendo : confuſus ubique
Clamor, ubique ignis, confuſaque mortis imago.
His quondam telis memores exercuit iras
Algeriam in gentem Lodoix, cum barbara fœdus
Rumperet, iniuſtaſque ageret noſtro æquore prædas :
Fædera proh ! quantis doluit temerata ruinis.
Te quoque inacceſſam præcelsâ rupe, Nicœa,
Nil validi juvere ſitus, vix gallicus ignis
Te ſuper ex alto intonuit, tremefacta, ſuperbum
Demittis caput, & vaſtis cadis icta ruinis :
Horruit ad ſonitum longe Padus, horruit omnis

Auſonia, emotis tremuerunt rupibus Alpes.
Præterea varias hominum labor extudit artes
Uſum in bellorum, totumque invecta per orbem
Armorum genera, haud priſcis umquam agnita
ſæclis:
Atque alius fœtam nigranti pulvere cannam
Fert humero: tum ſæva vocant ſi quando pericla,
Si fera, ſi raptis hoſtis ſubit obvius armis,
Illam pro jaculo, & longe fallente ſagittà,
Opponit venienti: ipſum manus altera pendet
Intenta in vulnus, dubium altera dirigit ictum,
Oblongo ſuppoſta tubo, ſed nec mora, poſtquam
Projecto pede conſiſtens, digito que micanti,
Sollicitans, ligulam increpuit, quæ ferrea ſubter
Tenſa latet, verſo ſe cardine, motus ab alto
Præcipitat, fricta que ſilex clarum excutit ignem:
Flamma ſimul, fulgorque ſimul, tonitru que ſe-
quuntur,
Plaga ſimul: getico numquam velocior arcu
Exit arundo levis, voluctesque interſecat auras.
Quid tibi preterea bombardæ fulmen, & acres

Commemorem ſcloporum ictus, quid ahenea dicam
Miſſilia, & fartas inimico ſulphure glandes?
Quid referam accenſas nocturna in lumina flammas,
Feſtivos populorum ignes, ubi mille figuris
Ludunt ſub noctem, nova cum victoria parta eſt,
Optati cum Regum ortus, cum ſplendida poſcunt
Connubia? Innocuis tum clarior ignibus æther
Fulgurat, & feſta late omnia luce refulgent.
Quin etiam effoſſis alius tellure ſub alta
It latebris, cœcoque parat decernere Marte,
Infandum! totas miſeris cum civibus urbes
Exitio involuens, ergo ipſam obſcurus oberrat
Subter hummum, ſenſim irrepens, fundamina muri
Dum teneat, ferroque imum terebrarit acuto
Quæpoſt quam conſtare videt, cœço infodit antro
Sulphuream tacitus molem; commercia flammæ
Os ſuper anguſtum longe facit: inde receptus
Longa in reſte ignis, lento pede pabula carpit,

Dat que fugæ ſpatium, nec longum tempus, &
ecce,
Ut primum accenſo cita pulvere flamma cucurrit,
Fit murmur, niſu vapor eluctatur anhelo
Incluſus, quæritque viam, impatiens que teneri
Prorumpit, ſuper impoſitas vacuo æthere moles,
Arma, viroſque ferens: undanti vortice nimbus
Subſequitur, piceoque obſcurat ſidera fumo,
Proſpectum eripiens, credas late antra recludi
Tartarea, èque imis incendia voluere Avernis:
Tantus ubique horror, tam vaſto cuncta fragore
Succutit anguſto deprenſus carcere pulvis.
Hos multi ſtrepitus, & murmura tanta ſecuti,
Naturam, & cauſas penitus ſtuduere latentes
Inſpicere, admotum, quid protinus hauriat
ignem
Unde fragor tantus, quà vi grave pondus in al-
tum
Attollat ſeſe, quà terrarum alta dehiſcant
Viſceribus ruptis, flammaſque ſub æthera vol-
vant.

Hæc quoq; ni tenues fugimus cognoſcere curas,
Ultro adeam, celeri haud veritus percurrere verſu
Omnia, & exiguis, quà fas, dare rebus honorem.
Acribus eſt nitris calor inſitus, abditaque intus
Semina flammarum; vix illa exſuſcitat ignis,
Particulas que leves noto contingit odore,
Tum vero inter ſe fractis corpuſcula vinclis
Ignea confunduntur, eunt, redeuntque per auras,
Turbinis in morem, celeres, motum adjuvat aër
Incenſus; flammam interea viſcoſa morantur
Sulphura, præpediunt que unà, irritantque morando,
Nec jam ſe capit æſtus, & obvia quœque refringens,
It cœlo victor; magnâ vi concitus aër
Aſſonat, hinc tanto diſploſa tonitrua motu,
Hinc volucri plumbo vis addita, duraque vaſto
Diſſultant crepitu ſaxa, immanes que recludit
Huc illuc tellus, igni diſrupta cavernas.
Nunc tandem vocat igniferæ cura ultima meſſis:

Quem poſcat ſibi quæque modum, quo ſul-
phura nitro
Adjuvet, attritæ, quæ portio juſta favillæ
Dicendum; ſi magna voles procul æra ciere,
Confertam turbare aciem, quatere oppida bello;
Haud pigeat cineri multum indulgere ſaligno,
Sic melius flamma oblongo luctata canali
Siſtitur, in partes donec pervaſerit omnes
Succedens, valido que abeat maſſa ænea pulſu.
Sin vero ſegetem tela in breviora parabis,
Qualia ſuppoſito pedites in bella videmus
Ferre humero, aut laxis per campũ effuſus habenis
Dextrâ explodit eques, cum prælia prima laceſſit;
Exiguus tibi tum vivacia ſulphura carbo
Temperet, hôc citius nitrum arſerit, hôc pro-
cul ibit
Ferrea glans, hôc tecta rues nemoroſa ferarum
Venator, triſteſque lupos, aut grandia ſternes
Corpora cervorum, pulſoſve cubilibus apros.
Hanc, muſæ, in terras quis tandem invexerit
artem

Monſtrate, & priſci cauſas evoluite facti.

Ante Jovem, prima que novi ſub origine mundi,
Dulcia tranquillæ peragebant otia gentes,
Diſcordes nondum pugnas, nondum improba norant
Arma viri, mens una omnes, amor unus habebat.
Venit ab æthereis male pulſus Mulciber aſtris,
Ille dolore furens, amiſſique ætheris irà,
Ætnæo ſiculos, perhibent, Cyclopas in antro,
Primus Fulmineos imitari ſulphure motus
Edocuit, ruptis hinc Ætna effuſa caminis
In ſuperos: tum ſævæ artes, tum cognita primum
Attonitas late turbarunt murmura gentes,
Atque hic, ære cavo dextram cui longa fatigat
Fiſtula, ſe, ſuaque arma timet, trepiduſque ſonoros,
Quos facit, ipſe horret ſtrepitus; contra ille ſuperbus
Arte novà, longo volucrem procul aëre læſam
Decidere, atque feras medio conſiſtere curſu,
Miratur, ſylvaſque, offenſaque ſaxa tonare.

Tum variis ſe ſe paulatim induſtria ſolers
Artibus exacuit, tum mænia cingere flammis
Inventum, & celſas evertere rupibus arces:
Tum pelagus movère rates, agitata que primum
Æquora, per medios ſtupuere incendia fluctus:
Cœrulei ſtupuere alto ſub gurgite divi,
Fulminibus gravidas Neptuno innare carinas.

Hæc ſuper igniferis audaci carmine nitris
Ludebam, late Europam dum Francica in omnem
Nitra tonant, Regum quo tempore jura tuetur
Accinctus flammis Lodoix, validaſque Namurci
Arces, & pavidos miſit ſua ſub juga Belgas.

FINIS.

GALLINÆ.

GALLINAM quæ cura juvet, quæ cura marito
Conveniat, teneris quanta experientia pullis;
Quàm variæ gentis ſpecies, quæ fœnora præſtet;
Tum Gallorum animos, iraſque & prælia dicam;
Exiguùm molimur opus, parvámque ſecuti
Materiem, haud firmis ad Pindum nitimur alis.
At tu quodcunque eſt ſtudium ne temne Poëtæ
Phœbe, nec Aonios pigeat recludere fontes:
Non ſemper diras acies, & jurgia Regum
Dicere amas, vel quos pepererunt bella triumphos.
Tu ſegetes, nemorúmque umbras, tu roſcida mella
Luſiſti, & blando fugientem murmure rivum.
Hac te Phœbe ſequor, tua per veſtigia greſſum
Ferre juvat, ruriſque intactos carpere flores.

Indictæ jucunda fero ſpectacula gentis :
Ac ſi bella placent, non deerunt hic quoque bella.
Tantum ades ; atque brevem divinæ particulam auræ
Miſce animo, & ſteriles numeris da vincere nugas;
Voſque mihi erectis, gens ante ingloria, criſtis,
Præcipuum veſtris addo ſi rebus honorem.
Plaudite Gallinæ, motaque aſſurgite penna.
Principio cortem qui paſcere curat opimam,
Liberiore ſolo tecta inter agreſtia campum
Deſignet, ponátque domos, ubi ſedula mater
Et ſeſe & totam poſſit componere prolem,
Contiguum antiqui tectum volüere culinæ,
Poſſet ubi nidis fumum transferre ſalubrem
Furnus, & immiſſo pullos recreare calore.
Tu ſapiens morem hunc tenuis quia fructus in illo eſt
Rejice ; magna levem ſuperant incommoda fructum.
Scilicet immundo vicinam ſæpe culinam
Inficeret Gallina fimo, aut clamoribus ægris
Turbaret domini placidam importuna quietem,

Tu genti ſemota lares præſepia circum
Extrue, & à domina quantum licet, exulet æde.
Ipſa autem ſurgant cæmento ſtructa tenaci;
Quæ protenſa pedes pateant non amplius octo,
Et ſurſum inflexo curventur fornice tecta.
Sunt tamen impenſæ parci qui paupere culmo
Summa tegant justo imprudens cave parcere ſumptu,
Atque omnem fornix tibi deſuper ambiat oram.
Nec vana eſt ea cura. Æſtivos ille calores
Temperat; & frigus bruma intractabilis arcet.
Præterea infeſtis, ſerpunt quæ plurima, monſtris
Intercludit iter, nec diris dentibus uſquam
Rodendo, tectum jurati perdere mures
Proficient, Muſtela dolos plorabit inanes,
Atque alibi prædam Martes fruſtrata requiret.
Sed ne ſubter humum furtivo irrepere poſſint
Allapſu, cocto ſubſternes imbrice tectum.
Nunc age & æquales ſtrue foſſo in pariete nidos,
Quorum ut collectas poſſis abſtergere ſordes,

Mobilibus latera & fundum veſtire juvabit
Aſſeribus. certo interdum quos tempore purges.
Ni facias, pura immundum Gallina cubile
Oderit, & laribus ſua deſeret ova relictis.
Incuſtoditi quæ ne per lubrica tecti
Forte cadant, circùm prætentus prodeat aſſer
Undique, compoſitis ſervet qui condita clauſtris.
Nec mihi diſpliceant texti de vimine nidi,
Quos licet è ſummis clavo ſuſpendere muris.
At quoties fracto, fuerit niſi cura, caniſtro
Amiſſam ſpoliata domum Gallina queretur!
Nequicquam ſocias, ad noctem haud amplius unam,
Hoſpitium rogat, atque aliena ad limina ſupplex
Poſcit opem, duræ immeritam ejecere ſorores;
Illa gemit, crebriſque diu loca quæſtibus implet;
Crudelem incuſans miſerandâ voce magiſtrum.
At tibi ſeu læves murorum in pumice nidi,
Seu calathi placuere magis, ne triſtis iniquos

Gallina increpitet, ceu carcere clauſa, penates.
Transverſa oppoſitos conjungat pertica muros,
Poſſit ubi fixis ſuſpenſa inſiſtere plantis,
Feſſa per optatam reficit dum membra quietem.
Jam verò exiguas pateat tibi limen in ædes,
Si quando implumes cupias inviſere fœtus.
Exin oppoſito diſtantes ore feneſtræ
Hybernum aſpectent ſolem, quarum altera luci
Pervia cuſpidibus defenſa horrebit iniquis:
At matri, teneræque aditum dabit altera proli;
Quò ſeſe infirmis ſi fortè extollere pennis
Non valeant, ſcalam breviorem apponere muro
Quis dubitet, gradibuſque viam diſtinguere certis?
Sed longè à tecto mundiſque cubilibus abſit
Turpis odor. Purum ſit cura fovere nitorem,
Et calx in niveis reſplendeat illita muris.
Interea patulos late rubus hoſpita ramos
Explicet, aut faciles ſpargant arbuſcula circum

Fuſa comas, pullis factura & matribus umbram:
Adſint & puris hauſtæ de fontibus undæ,
Quæ ſudibus foſſis, exeſi aut pumice ſaxi
Incluſæ, pecoris blandi ſerventur in uſus,
Si quando ſiccas uret ſitis arida fauces.
Sed ne contractis illimem ſordibus undam
Corrumpant, cœnóque liquor torpeſcat inerti,
Pallentéſque ferat vitiato flumine morbos:
Anguſtas hinc inde memor diſpone feneſtras,
Et pateant ubi breviora foramina collo.
Jam fœtas ſtabulis opus eſt inducere matres.
At non illa ferum ſpectat cuſtodia ſolers
Agricolam. Timidas terreret ſæpe volucres
Barbarus, armentis melior tauríſque domandis.
Fœmineas ea cura manus & lene requirit
Obſequium. Uxorem ſtudia hæc leviora manebunt.
Ipſe quidem validus membris & mole per arva
Imperet, ac putres proſcindat vomere glebas,

Pinguiaque inverſis committat ſemina ſulcis.
Non minùs interea ſervabit caſta pudicos
Sponſa lares. Aderunt præcinctæ ex ordine natæ,
Omnes virgineum ſpirantes ore pudorem,
Omnes penſa levi volventes mollia fuſo.
Ipſa ſedet media, & fabellas narrat aniles.
Poſtquam autem tenui duxerunt otia lanâ,
Quid vetat ut teneris mater comitata puellis
Vincta comam, & tunicas collecta ex more rigentes
Inviſat ſtabula, & plenis premat ubera vaccis,
Aut vocet ad fluvium, aut infirmos tondeat agnos.
Tunc etiam grato accedat Gallina labori:
Huic dulces ferat ipſa cibos miliaria grana,
Ováque ſecretis diſperſa recolligat antris.
Mox ſubeat tecto, atque heſternâ fæce madentes
Molle pecus miſerans, expurget ſedula nidos.
Nunc age quæ potior ſoboles, quæ forma tenellas,

Quas legis ut gentis ponant ſundamina matres;
Commendet, ſummum hîc prudens impende laborem.

Optima ſit facili quæ fert in corpore fuſcum
Nec major nec mole minor Gallina colorem.
Fuſca placet medico, fuſcam quoque laudat agreſtis.
Et laudat qui crebra parit fœcundior ova,
Ova machaonio morbos pellentia ſucco.
Ova ægris certam ſubito latura ſalutem.
Ne demens illâ quæras in gente nitorem.
Quòd ſi adeo placeat pictarum forma volucrum
Quæ recreet, pompâque oculos tibi paſcat inani;
Adverſo varios imitetur ſole colores
Pavo nitens, plenôque ſuperbus obambulet agro;
Et caudâ, & pictis ſpectacula pandat ocellis.
Fructum in Gallinâ quære, in pavone decorem.

Verùm illi ſuus eſt etiam lepor. Oris amœni
Gratia, compoſiti concinna modeſtia greſſûs;
Quæ ſummo rutilant hilares in vertice criſtæ,
Et color in pictis variat qui ſæpius alis,

Addunt ingenuæ decora haud ſpernenda volucri.
Quòd ſi ingens capiti criſta inclinata recumbat,
Lætum omen, centum illa feret complexa nepotes.
Sæpe adeo magnam ex unâ mirabere gentem
Prodiſſe. Aſt illi numeroſâ prole ſuperbam
Stipant, & tenui venerantur murmure matrem.
Tu memor effœtæ ſenium miſerere parentis:
Talem haud parva decet merces & gratia partem.
At cui luteolo flaveſcunt crura colore,
Hæc melior menſæ, & nulli ceſſura volucrum.
Eximium referet ſpecioſâ in carne ſaporem.
Sunt etiam quibus elato calcaria cruri
Altiùs emineant nocitura tepentibus ovis.
Vidi egomet cùm ſæpe parens, dum fœtibus ultro
Incubat, inſpirans animam, blandúmque calorem,
Frangeret illiſis miſerùm calcaribus. Illa
Nequicquam incuſat ſeſe; diffunditur ovum,
Squallenteſque atrâ funeſtat imagine nidos.
Tu fer opem, durumque pius prævertere caſum

Impiger exiguos à partu ſurripe fœtus.
Magnorum inde olim viſuram prandia Regum
Conde domi, matremque cibis melioribus altor
Paſce ſaginandam. Nec vanum crede laborem,
Præſertim Gallum ſi provocet æmula cantu,
Aut etiam roſtro, & petulanti ſæpius ungue
Scalpat humum. Tum quas propriâ ſecluſeris æde
Quondam in delicias menſarum, ſedulus omni
Arte fove; & quanquam longum gemet ægra volucris,
Et capiti & femori creſcentes detrahe plumas.
Tum mili granum, tum corbibus hordea plenis,
Conciſumque feres meliora in pabula panem,
Nec non attritas miſto cum furfure glandes.
Hi placuere cibi, nec longum tempus & ecce
Pro volucri denſam carnis mirabere molem.
Væneat hæc auro, & ſpretâ perdice, volucres
Ante alias cœnis Regum dominetur opimis,
Difficiliſque ſuperba gulæ faſtidia vincat.
Quod ſi deſidiâ Gallina hebetetur inerti,

Et craſſum nimiâ peccet pinguedine corpus,
Non lætum macie accitâ tu corrige luxum,
Copia ſæpe nocet. Metuenda hinc damna cavebis
Potandæ gracilem ſi cretam infuderis undæ,
Pulvereúmque cibis laterem. Hinc vis improba craſſam
Luxuriem arrodens edit, & vitium excoquit omne.
Verùm ubi molle pecus vario diſtinxeris uſu,
Pro ſpecie fata imponens diverſa, legendus
Quem ſtatuas pecoriſque ducem, pecoriſque maritum.
Gallus erit criſtâ elatâ, collóque comanti
Conſpicuus, cui non volucris certaverit ulla
Ingentes animos, majeſtatémque decoram
Spiranti; medius turbâ comitante ſuorum,
Agmina ſi quando campis agit. Ipſe verendus
Dat placidas populo leges & jura volenti
Dux gregis, & collo ſupereminet arduus omnes.
Hunc ſi, quæ varias commendat forma volucres,
Non decoret, ſi nec per collum effulgeat Iris

Splendida, pérque ſinus, nec verſicoloribus alis
Purior inſideat gemmis & murice cultus,
Si cantu nec luſciniæ, nec acanthidi certet,
O quanta exiguas compenſant munera dotes!
Flebilibus rupes moveat philomela querelis.
Illius ad cantum trepidi fugere Leones.
Quin ubi cæruleis ſol emerſurus ab undis
Jungit equos curru, lucis prænuntius ales
Tum canit, & læta ſurgentem voce ſalutat,
Ac tremulis plaudens diverberat ilia pennis.
Ille etiam cantu currentes dividit horas,
Temporáque ad varios metitur juſta labores.
Idem ubi devexos ſol tingit in æquore currus,
Dilectamque diem mundo eripit, anxius omni
Nocte ſilet, donec fuſo per membra ſopore,
Irrequieta brevi declinet lumina ſomno.

Diis olim ſacer, & cælo commercia inire
Creditus, incertóſque augur prædicere caſus.
Roma adeo vanum hunc ſervabat credula morem;
Roma triumphatrix populorum; quæque ſuperbos

Imperium Oceano extendens, ſubjecerat hoſtes
Et Numidam & celerem Parthum, Cimbrumque ferocem,
Ac detrectantes incaſſum frænâ Sicambros;
Horruit egregiæ nutus, cantúmque volucris.
Nequicquam bellum populo ſuadente ſenatus
Cenſuetat. Gallus Romana edicta refixit;
Et quamvis avidæ raperent jam ſigna phalanges;
Ni facilis gallus reſponſa optata tuliſſet,
Signa nefas ultrà damnatis vellere caſtris.
Præterea gentem latè dominatur in omnem
Natus ad imperium; Quin ipſi magnus honoris
Senſus ineſt, grandique tument præcordia faſtu.
Et vinci pudor, & vincendi ſumma cupido.
Sed quoniam generi varia eſt natura creando,
Hæc potior ſoboles, cui juſtæ corpora molis;
Et cui nigrantes creſcunt in corpore plumæ.
Ille pedes habeat denſos, atque unguibus acres;
Et rigida è croceis calcaria cruribus extent;
Pingue femur, latum pectus, roſtrúmque recurvum

Ac breve; lucentes plumæ per candida colla,
Quale decus pulchris tribuit natura columbis.
Purpuream ac duplicem cervix ferat ardua criſtam,
Ingenuíque micent oculis nigrantibus ignes.
Tum plumis rigeant firmatæ grandibus alæ,
Caudáque cervicem ſupra revocata coronet.
Talis erit pecori quem præfeciſſe tenello
Rite voles, denis nec non & pluribus unus
Sufficiet. Dux ipſe viæ, dux ipſe laboris,
Dat ſignum cantu & timidum præit arduus agmen,
Seu gelidum ad fontem, ſeu nota ad pabula ducat.
Hic honor, hoc emitur vel vitâ & ſanguine regnum.
Nec dubitant tali letum mercede paciſci.
Hinc ſæpe ingentes motus innata creavit
Ambitio, geminóſque inter civilia gallos
Non ſemel inſano bella exarſere tumultu;
Inventuſque illis Cæſar ſuus, & gener alter,

Nec non Æmathios referentia prælia campos,
Et decertantes populo pereunte tyranni.
Sæpe & rivales amor, aut furor acer, amoris
Conſortem haud patiens, ad pugnam exire coëgit,
Nec ſua deeſt Helene genti, quæ ſanguine amantum
Dotetur, jubeátque procos decernere roſtro.
Ergo in fatalem poſtquam deſcendere arenam
Fixum animis, litemque æquo reſcindere marte;
Seu regnum, ſeu ſuadet amor; mora nulla per auras
Stridens horrifico crebreſcit murmure clangor,
Sævâque concuſſi trepidantibus ilia pennis
Unguibus exacuunt, pugnæ præludia, roſtrum;
Interea crevit furor, & concurrere uterque
Impatiens, ſtetit intrepidos arrectus in ungues
Igneus, & vibrans exerto ſibila collo.
Attonitæ viſu matres ac vulgus inermum
Diffugere: Illi non ſegnius impete facto
Incurrunt, & in ora volant; offenſa fragorem

Roſtra dedere : Oculis arſere ſutentibus ignes
Hinc magis aceenſo connixus pectore uterque
Sævit, & adverſum ſeſe ejaculatur in hoſtem,
Exitium, mortémque minans; Tum vulnere crebro
Crura petunt, nudóſque ſinus, plumáſque re-
vellunt
Unguibus, & roſtro miſerabile membra cruen-
tant.
Quales gramineo ſi quando in litore tauri
Obnixi adverſis luctantur frontibus, æther
Aſſonat, & ſtrepitu litus procul omne remugit.
Haud ſecus ardentes inſtant in prælia Galli.
Donec deficiens, & fractis viribus impar
Victorem minor agnoſcat. Fugit, & lacerat ægrè
Membra trahens, ſtabulis cedit communibus
exul,
Rivali magnum imperium palmámque relin-
quens.
Non illum poſthac aut clara luce videbis
Ire iter, aut ſociis velut ante aſſueſcere tectis

Solem odit, tacitíſque probri memor abditur umbris.
Ni faciat linguis ultro inſectetur amaris
Improba gens, miſerúmque jocis crudelibus urat.
At victor parto imperio, palmáque ſuperbus
Attollit tumidum cælo caput, ætheráque altum
Sæpius aſpectans proprio accinit ipſe triumpho.
Diſperſas blandâ revocat dein voce ſorores,
Et placidâ ſocii ſecurus regnat in aulâ.
Nec ſoli ſemper, populo ſpectante, duello
Conflixere duces. At ſeditione coortâ
Sæpe omnem terra involvit diſcordia gentem.
Et jam ductores diſtinctis agmina turmis
Explicuere, feritque horrendus ſibilus auras.
Jam roſtra exertant, infenſóque ungue minantur.
At tu rumpe moras, & dum res integra, dumque
Arma parant, oculis coram improviſus acerbis,
Fuſte minax, vultúque ferox occurre furente.
Te viſo ponant iras, & martis amorem
Ilicet, ac notos petat omnis turma penates.

Quin, totam in gentem ne dira licentia ſerpat
Latiùs, & ſeris aſſueſcant denique pugnis;
Quem toto inſignem conſpexeris agmine ferri
Per medias volitantem acies, & gutture ſævo
Incendentem animos, pigraſque ad bella trahentem,
Dede neci ſceleris caput, auctorémque tumultûs.
Et jugulum duro vindex mucrone reſolve.
Haud quiſquam vetito poſthac concedere marti
Audebit Placidâ ſedes in pace fovebunt,
Et ſolitum domino ſua pendent ova tributum:
Curarum hæc merces. Nec fœtus edere ceſſant,
Ni quondam miſeris frigus crudele calorem
Eripiat, ſteriléſque hyemis violentia reddat.
Quidam fomentis inimicum vincere frigus
Tentarunt, dulceſque ſuo non tempore fœtus
Latonâ invitâ blandæ extorquere volucri.
Quàm vigiles curas; ſtudia & quàm multa requirit
Hic labor! hæc quantis naſcuntur ſumptibus ova!

Vix adeò ſuperent, fuerint licèt aurea, ſumptum:
Ergo, dum ſterilis viget inclementia brumæ,
Ah! ſine frigidulis ignavas degere nidis,
Neve brevem invideas quam dat natura quietem.
Ver modo tum zephyris & amico ſole redibit,
Ereptóſque priùs naturæ reddet honores.
Tunc volucrum genus omne, genus tunc omne ferarum
Egreſſæ latebris cælo meliore fruentur.
Tum ſua ſollicitæ renovabunt fœdera matres,
Et data multiplici penſabunt otia partu.
Omnibus unus amor caris inſiſtere tectis.
Multæ adeo fœtus etiam cum ſolibus æquant;
Sæpe & dum grato indulgent ſine more labori,
Defecere, ultróque animam effudere parentes.
Et quoniam teneræ haud parcunt fata impia genti,
Móſque premit, ſpatióque brevi diſcluditur ævum,

(Nam ſextæ rarò ſenſerunt frigora brumæ)
Tu triſtes leti reparare incumbe ruinas,
Nec ceſſet natus patrio ſuccedere regno.
Ergo ſuis ſtudioſa parens ſuper incubet ovis,
Unde tener rupto exiliat mox carcere pullus.
Ipſa quidem haud aliâ dubii faſtidia partûs
Spe tulit. At quoties miſeram fruſtrata parentem
Perfida ſpem caſu ſors intercepit iniquo!
Inſtat enim Vulpes, Martéſque domeſtica, furtis
Famoſæ, aut alios ova aſſervantur in uſus.
At tu qui ſtudiis indulges talibus, ova
Ne temere cuivis ſupponas ſingula matri;
Verùm majori quæ mole & pondere præſtant,
Elige ſpem gentis, validoſque datura nepotes.
Atque illa ut certis valeas diſtinguere ſignis,
Pauca feram. Puro perfuſam flumine pelvim
Diſpónes, vaſique immerges ova profundo.
Subjectis quodcunque impar enaverit undis
Rejice. Degenerem leviori ſemine prolem
Arguit, at fundo quæ pondere victa jacebunt:

Ne dubites quamprimùm avidæ ſubmittere matri.
Hoc facies zephyris primùm ſpirantibus, & cùm
Oſtendit cælo creſcentia cornua Phœbo.
Nec minor interea eſt matri delectus habendus,
Quæ melior blandos inſpiret fœtibus ignes.
Si qua duos nondum, vel ſi jam quattuor annos
Attigit, aut glocitare ſolet, pigrámve quietem
Odit, & in læto juveniliter exilit arvo;
Si qua ullis neſcit manſueſcere barbara curis,
His cave ſupponas imprudens matribus ova.
Aſt ubi de populo potiorem elegeris omni
Gallinam, nidos primùm purgabis olentes
Sedulus, & multo medicatos flore parabis.
Tum paleâ aut fœno ſubſternes tecta tepenti;
Ac ne aliena fames, juſti & penuria victûs
Præcipitat dulces interdum abrumpere curas;
Appones ipſis & potum & pabula nidis.
Ipſa haud ingratum trahet indefeſſa laborem,

Donec ter ſeptem revolutis deinde diebus ;
Prodeat implumis calefacto pullus ab ovo.

Hîc mihi ſi tacitas naturæ inquirere partes,
Inque ſuam liceat myſteria promere lucem,
Mira canam, nûlliſque priùs memorata poëtis.
Unde ovum, unde ipſo pullus generetur ab ovo,
Qvid vario fibræ componant corpora nexu,
In ſuaque ut ſeſe ſemen genitabile membra
Explicet, atque rudes informet ſpiritus artus ;
Tanta latent vel in exiguâ miracula mole !
In tenui tanta eſt naturæ induſtria pullo !
Ipſa quidem miro ſpectabilis ordine rerum,
Sive reluctantem præſcripto fine coercet
Oceanum, æterno ſeu librat ſidera motu,
Quamvis eximiâ mundum informaverit arte
Mater & ipſa ſuos ſtupeat natura labores,
Non eſt in tenui minùs admirabilis ovo.

Nam ſpina extremo quâ ſe ſub tergore condit;
Hic laxa excreſcit, rariſque ſimillima fungis
Materies, ſtricto quam magna arteria nexu
Amplexam

Amplexam fovet, atque uteri ſuſpendit ad oram.
Hinc teneri pendent velut è radice vitelli,
Quot videas gravidâ ex uvâ pendere racemos.
Ipſa autem, tunicâ circum ſinuante, vitellum
Involvit radix, & libera colla reliquens,
Suſpendit fragili liberatum innoxia ſacco.
Dat quoque præterea tenuis commercia nodus;
Quâ per diſpoſitos infuſa alimenta canales
In tenerum inſinuant, & dant quoque creſcere corpus.
Exiguum id primo, granóque affine ſinapis
Caneſcit, ſucco deinde albeſcente tumeſcens
Induitur croceum, ſervâtque in pelle colorem.
Verum ubi materno nutritum ſanguine juſtam
Augendo excepit molem, nec jam datur ultra
Creſcere, tum veluti maturus ab arbore fructus
Mole ſuâ nodum abrumpit, primáque relictâ
Exuvie, in vacuam matris delabitur alvum.
At non deinde tener ſuſcepto humore vitellus
Paſcitur interiùs, ſed denſi tuberis inſtar

Nutritur, craſſi collecta uligine ventris,
Dum ſe per ſalebras uteri convolvit inertes.
Tnm geminum, geminóque albumen tegmine cinctum
Aſſumens, nodo duplici ſibi nectit utrumque.
Adde cicatricem, modicæ quæ proxima lenti
In medio latitat vix agnoſcenda vitello.
Tandem ex delapſo concretum humore putamen
Omnem materiam felici carcere claudit.
Præterea tenerum quâ parte obtuſius ovum
Tange, cavum ſonat, & ſpatio gemit intus inani.
Omnia quæ poſtquam gravidâ perfecit in alvo
Tum demum facili mater ſe pondere ſolvit.
Et jam depoſito gaudens ſuperincubat ovo
Feſſa licèt partu, & ſtudio fallente laborem,
Vitalem inſpirat noctúque diúque calorem.
Aſt ovum infuſos dum lente concipit ignes,
Fit vacuum magis atque magis, námque ignibus actus

Senſim ſubtilis rareſcit & avolat humor.
Tum macula in fulvo rutilat quæ parva vitello,
Augetur, vacuámque tumeſcens fertur ad oram.
Deiu ſe ſe in liquidos extendens dividit orbes,
Unde duplex varium referens membrana liquorem
Paulatim turget. Quorum alter limpidus, alter
Craſſior, in rivum coierunt donec eundem.
Quattuor at poſtquam totos ex ordine ſoles
Incubuit fœtu mater ſtudioſa tepenti,
Purpureo humorem circum ambit linea filo,
Centróque in medio ſtat ubi ſignata cicatrix,
Sanguineum fulget, cordis primordia, punctum;
Inde per inſtructos diverſo errore meatus,
Ad filum geminæ ſalientes ſanguine venæ
Ducuntur, junctiſque ineunt commercia rivis.
Nec mora, purpureum veſicâ duplice punctum
Cingitur, & totidem veſicis mollibus aures
Deinde aſciſcuntur, cordis quæ tota ſupellex.
Et jam neſcio quod flexis affine carinis

Paulatim ſurgit concreto è flumine corpus.
Huic aliud majus majori appenditur arte
Diſtinctum quatuor levibus mirabile bullis,
Corporis illud erat jam ſe formantis origo.
Quatruor iſtæ autem quæ ſunt pro vertice bullæ
In geminos oculorum orbes, cerebrum & cerebellum
Evadunt. Reliquum exiguo poſt tempore corpus
Perficitur, Teneris tunicæ adnaſcuntur ocellis,
Conſtructa apparent jam viſcera, cûmque tormenti
Sanguificum pulmone jecur. Jam crura, pedéſque;
Jam pennæ excreſcunt, fœtúſque ſubinde movetur,
Nativiſque caput, queis innatat, erigit undis.
Interea nondum veſtito corpore, pulli
Anteriora patent, & pendent viſcera, donec
Quattuor atque decem faſtidia longa dierum,
Et dubios partûs mater ſit paſſa labores.
Tunc liquidum, teſtâ circum accreſcente, cerebrum

Clauditur, & molli conduntur viſcera clauſtro.
Ut pauci fluxere dies, albeſcere ſenſim
Incipit enatâ circum lanugine pellis,
Creſcentéſque ſuper veniunt in corpore plumæ;
Inde pipit pullus, fractoque putamine victor
Exilit, atque novâ fruitur jam lætior aurâ.
O fortunatam pertentant quanta parentem
Gaudia, dum teneris ipſam garritibus ultro
Circumſtant, blæſóque agnoſcunt gutture pulli!
Quales vagitus cunis in mollibus infans
Dat tener, at nutrix palpando mulcet alumnum,
Conciliatque leves, agitans cunabula, ſomnos.
Haud ſecus implumes mater fovet optima fœtus,
Inde ipſos calatho cui plurima veſtiat oras
Stupa, vel avulſæ proprio de corpore plumæ
Deponit, tepidiſque fovet denſiſſima pennis.
Quis referat quantos pro carâ prole labores
Suſtineat, quantæ diſtendant viſcera curæ;
Dum ſtudium pullos mater communis in omnes
Partitur, cunctos vigilans avertere caſus.

Si verò, quoniam frigus non ſuſtinet ætas
Mollior, immites tentabunt corpora morbi,
Dulcibus in tectis graveolentes protinus herbas
Proderit, & floris rorem ſparſiſſe marini.
Námque inde occultas recreata animalia vires
Concipiunt, vitiumque emendat purior aura.
Sin autem lapſa humenti pituita cerebro
Summæ paulatim incipiat lenteſcere linguæ,
Ah! ne letiferam ſpernas avertere peſtem.
Illam dum querulæ ramis frondentibus errant,
Deteſtantur aves. Nam cùm violentior ardet
Sirius, aut curvâ flaventes meſſor ariſtas
Falce metit, ſilvas hæc longum impune vagatur
Dira lues, pérque aligeram dat funera gentem.
Labitur infelix fagi de vertice paſſer
Deficiens, dulcémque animam ſub fronde relinquit.
Ergo ubi corrupto pullorum inſederit ore
Triſte malum (quod te ſigna haud incerta docebunt,

Namque ſimul ſummam candenti cruſta colore
Impediet linguam, & tractanti dura reſiſtet)
Tu medicas morbis adhibere recentibus artes
Ne differ, magnas acquirit tempore vires
Ulcus, & ægreſcit nullis ſanabile curis.
Id metuens, ubi ſe morbus ſigno indice prodet;
Rumpe moras, &, dum licet, ab radicibus imis
Hærentem linguæ feſtina avellere cruſtam,
Ipſa manum facilis, nondum inveterata ſequetur.
Sæpe autem tantùm invaluit, nec jam amplius hæret
Extremæ, ulteriùs ſerpens contagio, linguæ.
Hic gravior tentanda via eſt. Violentius adſit
Auxiliùmque, manúſque, artíſque ſeverior uſus.
Tum caſtigatis primùm jejunia menſis
Indico; Vidi & pennam qui naribus ipſis
Inſererent, pennam alternâ quam luce moverent;
Triſtia crudeli frænantes ora capiſtro.
Vidi & qui dapibus miſcerent acria parcis

Allia, vel preſſos albâ de vite racemos.
Profuit & merſas in quâ Strix laverat undâ
Porrexiſſe olim pullis languentibus eſcas.
Hanc peſtem, morbique genus prævetterit omne
Cui labor undantem nidis inducere fumum:
Scilicet impuras fumi vis ignea ſedes
Expiat, & muris ſudorem abſtergit iniquum.
Sin autem triſti dum languent corpora morbo,
Victa malo nullam tulerit medicina ſalutem,
Tabidaque inſinuans circum præcordia virus
Hauſerit infelicem animam, tunc viſcera mater
Multa gemens quatit, & miſerando funera luctu
Proſequitur, Preſſi mœrent ad pectora pulli,
Fraternâ primos experti morte dolores.
Ergo diem exoſi porrectas mortis amore
Rejecere dapes, oculóſque cadavere paſcunt.
Tu miſeris ſuccurre pius, fœdúmque cadaver,
Ne mala crudelem foveant ſpectacula luctum,
Ejice, Tum ſuccis gratas melioribus herbas

Apponens, dulci mœrorem vince ſapore.
Inde brevi mortis lacrymoſa recedit imago,
Inſtaurátque ſuos mater relevata labores.
Poſt ubi jam raræ pullorum corpora plumæ
Veſtierint, poterúntque ſuis inſiſtere plantis;
Tunc ego, ſi zephyri ſpiret clementior aura,
Purior & terris diffundat lumina Titan,
Excurſus cum matre breves tentare per arva;
Interdum & jubeam cælo meliore potiri.
Magna quidem hinc ſenſim pecus incrementa te-
nellum
Accipit atque novo firmantur robore membra.
Altera tum ſtudia, atque novæ ſuccedere
curæ.
Ducendi ad rivos, præbenda alimenta, ſalubres
Monſtrandæ, & ſuccis nociture triſtibus herbæ;
Tum verò indociles tecto ſi longiùs abſunt;
Mater inexpertæ ſemper timet anxia proli,
Ne lateat Vulpes avida, aut ſpeculatus ab alto
Milvus in incautam facto ruat impete gentem.

Quos dum ſollicitâ volvit ſub mente timores,
Advolat, & crebris revocatos vocibus ultro
Increpat iratæ ſimilis: Convivia vulpi
Num præbere velint, aut acrem paſcere milvum.

Qui medio quondam ſi viſus in aëre ferri
Terribilis roſtro exerto, & ſtridentibus alis;
Continuò ſubitus trepidantia viſcera pullis
Pertentat pavor, & tanto in diſcrimine rerum
Confugiunt denſi tremefactæ matris ad alas,
Collectique metu parvum agglomerantur in orbem,
Si poſſent condi maternâ rurſus in alvo.
At mater furibunda oculos defixit in hoſtem
Obſervans, & certa mori. Fugit ille per auras
Multa minans, ſævæque timet concurrere matri.
Poſt ubi firmato jam corpore grandior ætas
Venerit, & poterunt non jam cuſtodis egentes
Ire viam ſoli, & noto ſe credere campo;
Cuique ſuam prudens librato examine ſortem

Impones, ſeu quos obſcuro in carcere pullos
Magnatum lautis placeat pingueſcere menſis,
Seu quas longævæ jubeas ſuccedere matri,
Atque novam ex ſeſe generando educere prolem;
Quem tenero imperitare gregi, quémve in grege capum
Eſſe velis, & hic ad varios erit utilis uſus.
Tum teneris rurſum curas impendere nidis,
Tum pullos rurſum, gravidaſque fovere parentes.
Sic rediere novi, verſo velut orbe, labores.

Hæc ego Neuſtriacâ degens tellure canebam;
Attonitis Rheni dum Gallus victor in oris
Feſta triumphali præcingit tempora lauro.
Jam Stenkerkæi fumarant ſanguine campi.
Tu quoque, prætentas muris dum fulminat arces,
Et trepidum aſpectu LODOICUS territat hoſtem,

Ingens corrueras (triplici licèt ordine vallum
Surgeret, & grandes regnarent undique foſſæ)
Spectante AURIACO, BATAVO indignante,
NAMURCUM.

FINIS.

AD

ILLUSTRISSIMUM VIRUM

PETR. DAN.

HUETIUM

SUESSIONUM

PRÆSULEM DESIGNATUM

Nobile Neuſtriacæ decus oræ, & gloria prima
Caſtalidum, teneris olim cui Phœbus ab annis
Cuncta pater vaſto complecti pectore, & imos
Pierii tribuit montis penetrare receſſus,
Maxime Huetiade; *ſua ſi tibi munera juſtis*
Nunc cumulat LODOICUS *honoribus, & nova fronti*
Sic merita priſcas ſupra venit infula lauros;
Ne tamen inde novi donum aſpernêre Pœtæ.

Non tibi Mœniam referentia carmina pompam
Offero, & Andinâ dignas gravitate Camœnas:
At ſæpè & vatum luſus heroës amarunt,
Libera dum poſita faciebant otia cura.
Quin olim & conchas Lucrinis legit in undis
Scipio: Murenæque gemit dum fata perempta,
Oſtendit Craſſus quantum ſibi viva placeret.
His tamen & bella, his fuerat res credita pacis.
Ite mei, felix nimium pecus, ite Cyprini;
Vos quoque, vos oculis & HUETIUS *aſpicit æquis*
Ite Alnetanam, quà mollibus allicit Udo
In villam invitans undis; ibi grata decoro
Tecta ſi tu præſul grata, & felicibus hortis,
Si quando alternam requiem ſinit aula, reviſit.
Huc præparate citi. Nova vos Antiſtes habere
Stagna bonus jubet. At quando ſeu carmina, ſeu quid
Grandius, in regni vel Relligionis honorem
Ad veſtram meditans ſe ſiſtet HUETIUS *oram;*
Vos melius tanti, mihi credite, nominis umbrâ,
Quam medias inter ſalices creſcetis, & Alnos.
Hincque Alnetanæ pluris vivaria villæ,
Quam piſces, Benace, tuos, Italaſque paludes
Eooſque lacus ætas factura nepotum eſt.

STAGNA.

QUÆ loca, quæ lætos faciant vivaria piſces;
Quæ placeant undæ, quæ Stagnis optima tellus,
Hic canere aggredior. Vos ô, queis flumina curæ,
Quique lacus placidos, piſcoſaque regna tenetis,
Diique, Deæque omnes, veſtra hic ſi munera canto,
Squamigeros monſtrate greges, date limpida tecta
Aſpicere, & certos per lubrica figere greſſus.
Tuque adeò, Thymbræe, tibi ſi priſtina necdum
Aut Clymenes animo, aut Cyrenes cura receſſit,
Ipſe tuas linquens ſedes, & culmina Pindi,
Huc, pater, ô Thymbræe, veni; liquidoſque reviſens
Mecum unà in ſylvis fauſto pede corripe calles.
Principio tellus Stagno quærenda parando eſt,
Quæ neque ſit lutulenta nimis, (namque inde malignum
Concipiuntque luti, referuntq; in carne ſaporem
Stagnicolæ cives) neque duris cautibus horrens
Impediat victum, & nativo frigore lædat.
Abſint & denſæ procera cacumina ſylvæ,

Aut fagi ingentes, aut aëriæ cypariſſi:
Nam Soli officiunt, & apricâ ludere in undâ
Laſcivos prohibent, & brumæ frigore primo
Decidua vitiant conſtratam fronde paludem.
At tibi arenoſi placeat ſuper omnia ruris,
Nec bona frumento, nec pinguibus utilis hortis
Scabrities, aſprique uberrima copia tophi:
Carpe. Topho etenim * Carpæ meliùs, topho aurea
Tanche. * Tinca
Proveniet: tophum dulcis non deficit eſca,
Mucoſuſque humor, levium & genus omne natantum.
Plurima præterea circùm undique ſurgat arundo
Et muſcus viridans, & juncea ſylva per oras.
Ut cum piſciculi tenues, alimentaque deerunt
Dulcia, tum viridem gens humida quærere paſtum
Diſcat, & adnatas corrodere dentibus herbas.
Nec quaſcumque etiam rigidus vivaria circum
Stare vetem frutices, alnoſque, & glauca ſalicta:
Nam juvat & piſces ipſos, dum cætera paſſim
Vibratis ardent radiis & ſole furenti,
Optatum denſâ frigus captare ſub umbra.
Ipſe autem, tibi ſeu longo per gramina ductu
Quæritur, aut liquidis è fontibus exilit humor,
Divite prorumpat venâ, renovetque priorem
Multus aquam: haud ullos tantùm Thetis humida
piſces

Jactat; & ipſe ſuis jam præferat Adria * Mullis. *Surmulet.*
Non aliam ob cauſam, ſquammoſæ gloria gentis
Quos tetigit, medius ſemper quâ interfluit amnis,
Elegêre locum Stagno. Sic pinguibus arvis,
Qua Liger Aurelias late præterfluit oras,
Cuncta parant Soloni vivaria: ſic & in hortis,
Quos fluvio, Condæe, tibi rigat Axona molli,
Flumineos volvit Cantillia nympha liquores.

Sed tua cum primis, ſeu latum extenta per agrũ,
Sive brevi pateant vivaria limite clauſa,
Aggeribus valla firmis: ſæpe horrida nimbis
Sævit hyems, & Stagna furens quatit: aut ubi lato
Stricta gelu tellus humenti liquitur auſtro,
Continuò avulſæ moles, concretaque ſaxa
Cum ſonitu volvuntur: at impete dirutus agger
Cedit agens rimas, fundoque evertitur imo.
Sæpe leves etiam perdunt vivaria cauſæ,
Ni caveas: hîc effoſſis, ſi credere dignum eſt,
Fecit aquæ vel Talpa locum, vel Bufo latebris.
Hîc graciles ſenſim ipſe latex dum lambit arenas
Admordens, crebroque ferit circumfluus ictu,
Sponte ſuum ſibi fregit iter: ſimul objice rupto
Spem Stagni ah! ſecum violento turbine traxit;
Miraturque, novo mixtas dum vortice paſtor
Nare videt campis pecora inter agreſtia * Percas. *Perche.*

Ergo age, monſtra tui videant ne talia piſces,
Ceſpite de pingui totus tibi funditùs agger

Conſurgat, craſſamque uligine, noxia contra,
Obdat humum. Nunquam aut undâ veniente cavatur,
Aut brevibus ceſpes dedit ulla cubilia talpis.
Profuit & glaucas, ſit opus quò firmius, alnos
Inſerere aggeribus, ſalicumq; adjungere truncos.
Undique nam penetrans radicibus ima retortis
Stirps agitur, rimaſque, & ſicubi non bene junctam
Arctat humum aſtringens, prohibetque fatiſcere molem.
Quin tua ſi exundant externo Stagna liquore
Interdum, aut pluvius montano è vertice torrens
Huc refluat, quadri fundandum pariete ſaxi
Cenſuerim vallum; & toti, ne forte reſidat
Prætexendum operi vada contra turgida murum
Præcipiam, ac multâ calcis compage tenendum.
Tum ſi quæ incipient volvendo tempore ſeſe
Prodere fiſſuræ, & laxi apparere meatus;
Tu medicas, mora nulla, manus adhibere memento.
Ni facias, Stagna, ac molem, cœptoſque labores
Quippe ferant rapidi ſata per cerealia fluctus.
Nunc age, quæ variis inſit natura creandis
Piſcibus, atque novæ quæ danda colonia ſedi,
Accipite, & proprios generatim ediſcite cultus;
Anguillæ. Nec ſegnes habeatis aquas: jam * Anguilla paratum
Longa lacum findat, volitent per cærula Carpæ.
Ergo avidus, primi ſurgunt dum ſigna Bootæ

Vere novo, genere ex omni turbâque natantum
Exiguam ſobolem, nec idonea corpora menſis,
Elige ad hos uſus, & apertæ immitte paludi.
Ante tamen, lecti veniant quam ad ſtagna coloni;
Tu, quos quæque ferat piſces plaga, quoſque recuſet,
Inſpice. Benaco ſuus eſt, nec cognitus extrà,
Carpio. Miratur ſuaves regio altera * Barbos: *Barbeau.*
Quique bonæ hîc fuerit pars * Lucius optima menſæ, *Brochet.*
Auſoniis olida vileſcit carne popinis.
Ipſa nec in ripis omnem omnibus Amphitrite
Eſſe gregem, aut unum dedit omnibus eſſe ſaporem.
Nam non omne mare eſt generoſi fertile * Thunni, *Thon.*
Nec tibi * Cancaleas dant omnia litora Conchas, *Huitres de Cancale.*
Hîc * Aurata venit; Canadenſi * Morhua ponto *Dorade. Moruë.*
Naſcitur; eſt alibi * Soleæ. Quis Danica neſcit *Sole.*
Armenta, * Halecem? aut quantum Cadomæus in orbem *Hareng.*
Excreſcat * Rhombus? quos vincat * Salmo catinos? *Turbot. Saumon.*
Nec minus & variis varium decet eſſe liquorem
Piſcibus: hic vivis meliùs reſpondet in undis;
Hic pluvias optabit aquas: Anguilla lutoſam
Quærit humum; gracili * Truttæ lætantur arenâ, *Truite.*
Truttæ purpureis ſtellatæ corpora guttis.

Cænoſa, & luteas æternùm habitaſſe lacunas
Horrebunt. Sed tu ſapiens vivaria ſæpe,
Ne triſtem inde ferant armenta humentia guſtum;
Purgarique jube, nociturum & ſubtrahe cœnum.
Nec te tranſierim, menſas viſura potentum
Trutta, & pinnarum forti fera cuſpide Perca.
Nam quanquam rapidâ meliùs venietis in undâ,
Spumoſoſque ambæ colitis feliciùs amnes;
Non tamen & clauſtri patientes nullius omnem
Stagnorum temnetis aquam: nec ubi humor abundat
Plurimus, & juges imitantur flumina lymphæ,
Hîc ſtare, hîc feræ proli indulgere pigebit.
Quid tibi & * Alburnos memorem, & ſine nomine turbam, *Able.*
* Gobium, & exiles maculato tergore * Lotas? *Goujon. Lote.*
Non mihi, ſi varias lubeat percurrere formas,
Quotque natent ſpecies, & nomina dicere quæ ſint,
Centum ſufficiant linguæ. Tu, villice, turbam
Ingentem, quot ſe obtulerint, quàm multa dabuntur
Accipies genera, & vacua in vivaria mittes.
Nec ſtagni immeritos credas, me judice, cives.
Eſt ſuus & cuivis uſus: quoſque ore ſuperbo
Tangere nolueris, lautæque apponere menſæ:
Hi gravibus ſuaves alimenta in dulcia cedent
Piſcibus, immanes videas hinc creſcere Percas.
Nec tamen intereà poſito ſine ſemine nullos

In Stagnis veniſſe tuis mirabere piſces.
Talis erit, quem lympharum dixêre tyrannum
Lucius. Ille etenim (Tinca ſeu matre creatus
Seu fluvio forte advectis naſcatur ab ovis)
Ne dubita, Stagno injuſſus tibi creſcet in omni.
Sed non & creviſſe voles: bella, horrida bella
Piſcibus ille movet reliquis, ille ore cruento
Et Carpam, & Carpæ natos, & magna nigrantum
Corpora Barborum, & fruſtrà ſe in membra plicantem
Devorat Anguillam: nihil hunc nec purpura, Truttæ,
Veſtra movet, nec pinna graves tegit horrida Percas.
Sed ſtragem ferus horrendam diſcrimine nullo,
Natorumque, patrumque ciet, juvenumque, ſenumque.
Ille etiam, tenerum ſenſit ſi quando per undas
Nare Anatem longè, & matrem ſtipare ſequendo:
Ille (nefas) pedibus viſus traxiſſe revulſis
Multa reluctantem, pennaſque hinc inde moventem
Cum ſonitu; medioſque inter flentiſque ululatus
Et concurſantum fremitus, ſorpſiſſe ſub imo
Gurgite, & imbelles laniaſſe immaniter artus.
Lucius & juvenum carnes amat. Ille tenellas
Sæpè etiam plantas, incautaque crura momordit
Impius, illæſamque domum non paſſus herilem eſt.

Talia multa ſuis ſi degere Naiades undis
Monſtra ſinant, equidem longo non tempore regnum
Permaneat, ſerventque ſuos Stagna humida cives.
Sed pater omnipotens primo hæc ut vidit ab ævo,
Non tulit: atque auſus jam tùm indignatus iniquos,
In ſobolem duris juſſit ſævire parentes
Morſibus, & gentis numerum minuiſſe nefandæ.
Sic idem ille Deus, ne tota armenta perirent,
Raptores, genus acre, lupos civilia bella
Exercere, feroſque inter ſe ſtringere dentes
In ſylvis voluit, teneris nec parcere natis.
Sed repetamus aquas. Quanquam acrior ergo minores
Lucius in piſces deſæviat. Attamen illud,
Crede, mali lenimen erit, ſi forte loquaces
Inveniet ranas: illò namque improbus omnem
Detorſit rabiem, & fugientes litore toto,
Horrendumque coaxantes diram egit in alvum.
At ſemel in tutâ poſtquam tibi ſede locata eſt
Turba natans, ſoliduſque ſuis ſtat molibus agger,
Vix ullum in reliquo cultu experiare laborem.
Nam neq; quærendus fuerit, qui ad pabula piſces
Aut agat impaſtos; paſtoſve ad ovilia cogat.
Sed proprium ſibi quiſque cibum reperiſſe per undas
Piſciculoſque leves, ſtagnique in partibus imis
Mucoſum humorem, fructuſq; herbaſq; paluſtres

Temporibus novêre ſuis : hi ſole recenti ,
Aſt alii tacitæ per amica ſilentia noctis.

Nec tamen ille , ſuas dederit qui piſcibus eſcas ;
Quæque placent , ponat plenis alimenta caniſtris,
Stagna parùm , & caros piſces juvet : eſt ſua namq;
Viventum ut reliquo generi , ſic civibus udis
Nauſea , difficiliſque venit penuria victûs.
Præſertim in ſteriles ſi plurimus humor arenas
Incidet , ac limi impediet jucunda recentis
Munera , nec fluvio nova paupere dona reponet.
Ne mihi jejunis tùm prandia parca malignâ
Pone manu , ô quiſquis validos vis creſcere piſces :
Neve laboranti renuas ſuccurrere genti
Sordidus. Emiſſis parco dum Stagna magiſtro
Siccantur lymphis , meſſiſque ad tempora ventum eſt ;
Sæpè ubi cum magno ſperatur fœnore fructus ;
Pro Percà ingenti , & bipedalis corpore Truttæ ;
Infelix ſoboles macilenta oſtenderit oſſa ,
Et longa arguerint graciles jejunia Tincæ.

Talia ſi melior fugere , & quæ danda doceri ,
Cæruleique voles pecoris ſervire palato :
Victum arridentem baccas , diſſectaque fruſta
Exertæ nucis , & diſciſſam apponere ficum
Præcipio. Tùm , ſi & totam numeraſſe juvabit
Gurgitis æquorei venientem ad pabula turbam :
Tu panem , & carnes varias (nam fercula piſces

Noſtra petunt) ſimul exta, ſimul craſſumque cruorem
Projicito ad ripas: dapibus mora nulla paratis,
Concurrêre unà Truttæque, & dente voraci
Lucius ante alios, Carpæque, & vivida Perca,
Tincaque, & Anguillæ; quales cum ad litora Proteus
Compulit, & longo percenſuit ordine Phocas.
Sæpe vel ad dominos viſi acceſſiſſe vocantes
Carnibus oblatis, & herilem lambere dextram.
Sæpè etiam longos paſti per cærula curſus
Argutis inière modis, totidemque recurſus
Implicuêre ſuis ambagibus. O, ubi lymphæ,
Bellaquei lymphæ, Stagna & regalia fontis!
O, mihi quis tales dederit tunc cernere ripas,
Sepoſitis huc cum curis, procul urbe, domoque
Gallica nobilitas linquens Verſalia tendit.
Non ibi Tritones glauci, non ore Chimæra,
Quæ vomit horrifico lymphas, terretque tuentes,
Perque gradus altà latices è rupe voluti
Deficiunt. Sed ſi ad vivaria piſcibus eſcas
Quis tulit, ah quanto trepidi accurrêre tumultu!
Hic ſursùm exiliens avido cœnam ore morantem
Præcipit, hic roſtro venientem expectat hianti.
Pars inhibent ſocios, ſimul & quacunq; cadêntes
Conſpexêre cibos intenti, huc agmine denſo
Irrumpunt, turbamque agiles fruſtrantur inanem.

Ac puer hos motus nuper dum regius orâ
Spectat ab extremâ, & juſſo dat cernere marte
Lucium, & ardentem projecta ad pabula Cycnum;
(Mira loquar, ſed vera) novo perculſa ſub undis
Lumine Bellaquei dominatrix Naïas horti
Molliter aſſurgens caput exerit; atque ubi duram
Jam tùm militiam, bellique placere labores
Miratur puero, dextram petit; inde ſereno,
Attonitâ procerum turbâ, hæc ſuperaddidit ore:
Diſce puer patriam virtutem, & vincere bello:
Hàc iter ad cælum eſt. Tum gurgite concita ab imo
Læta cohors comitum laudeſque, & fortia facta
Ingeminant Lodoïci: ut votis mille petitus
Non jam ſperatos cælo auſpice traxerit ortus:
Ut Francum indocilem primi ſub tempora regni
Agmen agens fidum Pariſina ad mœnia victor,
Fregerit exuerìtque; ut centum acertimus urbes
Trajectumq; Ariamq; & inacceſſum Cameracum
Diruerit. Tu tergeminos, LODOICE, ſub armis
Hollandum, Hiſpanumque domas, & Teutona fortem,
Te Reges tremuêre alii: te infida tonantem
Genua, prædatorque Libys nova fulmina ſævæ
Baliſtæ horreſcens, & terrificas bombardas,
Oravit veniam ſupplex, pacemque popoſcit.
Nec te ullæ movêre minæ: non terruit ore
Hæreſis infrendens: Non gurgite Rhenus euntem

Tardavit, poſitæque adverſo in litore turmæ.
Talia cantabant Nymphæ, procerumque tenebant
Attonitas ſimul & viſis & carmine mentes.
Ac tibi fluctivagis ſuaves dum porrigis eſcas
Armentis, & pingue doces diſtendere omaſum,
Villice, ſeſe offert ultrò gravis altera cura.
Eſt prope Metenſes campos, Lotharingaque culta,
Plurima propter aquas habitans, amnemque Moſellæ,
* Lutra, infanda lues; quâ non impunè ſub undis *Loutre.*
Pinnigero licet eſſe gregi: ſed ſtrage cruentâ
Flumina per, clauſaſque irrumpens aggere lymphas
Carpamque, Anguillamque vorat, Percamque trilibrem.
Vidi ego, cum tuto ludentem in flumine turbam
Intentamque jocis placitis, notæque palæſtræ,
Illa oculo ſpeculata truci, & ſuper uſque voluta
Prenderet ore trahens, pedibuſque elideret uncis.
Vidi & cum medium tria corpora fuſa per antrũ
Ungue avido premeret, fixoque ſub ilia roſtro
Sugeret abſorbens ſaniem; ſemeſaque toto
Fruſta loco, truncique jacerent turpiter artus.
Hanc tua comperies ſi quando Stagna ſecundùm
Bacchari peſtem, gentique indicere bellum
Cœruleæ, validis antrum cinxiſſe moloſſis
Cura ſit, ejectumque cruentis ſedibus hoſtem
Aut plumbo perime, aut ultrici fige ſagittâ,

Dedignata cibos inſtruxit retia cervis;
Phœnices primi ſua lymphis ponere clauſtra,
Stagnaq; conſtruere, & varios huc mittere piſces
Inſtituêre. Novas uſus mox extudit artes
Gentibus in reliquis. Hinc lina humentia Percas
Decipiunt, tectique doloſis carnibus hami,
Naſſaque non piſces unquam emiſſura receptos.
At tu, dum ſuberit piſcandi, villice, tempus,
Hæc quoque cuncta memor multò priùs arma parabis.
Nec vana ín tectis fuerint. Sæpè hoſpes amicus
Occupat incautum: ſæpè & cum conjuge blandâ
Fallere dum triſtes animi poſt nubila curas
Ipſa dies monet, & dulci indulgere Lyæo,
Intereà ſuavem hinc pueri fallacibus hamis
Obtendunt eſcam, & turbæ inſidiantur edaci.
Hinc pater ipſe manu rete explicat, hucque juventus
Stipitibus piſces longis armata coëgit:
Feſtaque curantur dapibus convivia inemptis.
Aſt ubi dicta dies aderit, quæ Stagna liquore,
Jam vacuare voles miſſo, atque repoſcere fœtus:
Ah! mihi ne rupto malè providus aggere lymphas
Miſeris, & priſci pereant in mole labores.
Sed medio tales operi quæ ſubdita in uſus
Stat cataracta undas cohibens, hanc præcipe ſursùm
Attolli: at ſubito verſo objice profluus humor,

Quà via facta, ruet, ſtagnoque humentia ſicco
Armenta in nudâ fugiens exponet arenâ.

Hos, tibi Borbonio, lymphas dum fonte ſalubres
Ducis, HUETIADE, munuſcula tenuia piſces
Mittimus: at facili dum carmine ſtringimus oram
Humentis Stagni, & ripas impune tenemus:
Tu rerum cauſas penitus tentare latentes
Doctus, & audacem ſcripto exagitare recenti
Carteſium ſolers, poteris majora docere;
Et quas indiderit natura recondita dotes
Piſcibus, aut undis, meliori promere vena.
Exiguum interea munus ne temne, tibique
Hos poni majora inter ſine fercula piſces.

AD

ILLUSTRISSIMUM VIRUM

LUDOVICUM MARC DE LA FERTÉ,

IN SUPREMO

NEUSTRIÆ SENATU

PRÆSIDEM

INFULATUM.

QVAS *noſti, atque adeò,* JUSTISSIME PRÆSES, *amabas,*
Abſtulit infidus nuper amicus Aves.
Ille ſibi plaudens, veluti benè callidus auceps,
Verba mihi, furtum dum queror iſta dedit.

Vere ſuo ut ſileant quid commeruere Volucres ?
Et quæ non verno tempore cantat Avis.
Quæ placidæ fuerant, audito nomine veris
E nido Volucres exiliere ſuo.
Turba levis, leviorque tuis in corpore plumis,
Dixi: quis, miſeræ, vos malus ardor habet ?
Imminet Accipiter. Dominum riſere monentem,
Seque putant tutas, quod placuere tibi.
Quid facerem ? mihi viſa ſalus fugientibus una;
Si ſit qui profugas jam tueatur Aves.
Has tibi commendo, Judex æquiſſime: nullus
Tam benè defendet, præſidiumque dabit.
Jamdudum ſcelerum ultorem Te Neuſtria laudat:
Immeritas ſi quis læſerit, ultor eris.
Audin ? jam blandâ, Præſes, te voce ſalutant
Quæ tibi ſunt noſtri pignus amoris, Aves

AVES.

QUÆ ſtudia & mores Avibus, quas callidus auceps
Incautis paret inſidias, qui cultus alendis
Curaque conveniat, quas & formentur ad artes,
Signaque morborum, & quæ ſit medicina, docere
Aggredior: vos ô ſylveſtria numina Pindi
Per nemorum ignotos audentem incedere ſaltus
Ducite: tuque ô venatrix inimica volucrum
Adſis diva Favens: Avibus fatalia noſtris
Projice tela modò, & gravidam depone pharetram:
Et tu qui linguis Avium, atque loquentibus alis
Venturos hominum caſus, duróſque labores
Phæbe aperis, noſtris augur bonus annue cœptis;

Voſque adeò vatum præſentia numina Muſæ
Ferte pedem: vobis Avium ſumpſiſſe figuram
Profuit: & doctas olim ſuperaſſe canendo,
Judicibus Nymphis, imitantes omnia Picas
Pierides, vobis haud ultima gloria venit.
Non ego carminibus cunctas temerarius auſim
Amplecti Volucres: & me ſuper æthera raptum
Cum Jovis Alitibus ſublimi ferre volatu.
Alma quidem volucres animo dat gloria pennas,
Hortaturque ſequi: at juvenilibus Icarus auſis
Excidit: hinc humiles diſco volitare per auras.
Sunt alii melior Phœbus queis annuit: illi
Roſtra cruentarum cantent metuenda Volucrum,
Aſteriam, & Circum, & viventem ſemper in armis
Percidium: nec te repetentem, Niſe, capillum
Prætereant: aut te meditantem, Milve, Columbam.
Pro variis etiam exuviis natura colores
Quos tribuat; quæ ſint Volucrum diſcrimina; pugno
Quæ ſedeat meliùs; quæ promptior avolet; apta
Quæ magis aurito lepori, aut Perdicibus; & quæ
Propter humum volitet, tranet quæ nubila, dicant.
Ergo ſecuræ, nunc jam licet, ite volucres:

Non ferus Accipiter, non armiger ipſe Tonantis
Sævior, hìc vobis crudelia bella movebunt.
Dumque Avium varias ſpecies, & nomina quæ ſint
Expedio; levibus dicenti plaudite pennis.
Jam Volucrum ſuſpenſa cohors Merulæque, Parique,
Graculus, & Chloris, Fringilla, & Spinus, & Anthos
Me circumvolitant: & adhuc pullata doloris
Veſtimenta gerens Progne, & Curruca Cuculli
Ova fovens, Perdix, Turduſque, & Phaſidis Ales
Immeritam paſſus Terei pro crimine mortem.
Et docilis Sturnus, Thraupiſque, Rubetraque, & acer
Regulus, atque rubro ſumens à pectore nomen
Grata Batis: Cinclúſque alieno debilis ova
Deponens nido: & vario Torquilla colore,
Torquilla in potu quâ non præſentior ulla
Peſtis, ut effrænum venis defigat amorem;
Necnon Ægithalus, Paſſer, Linaria, Turtur;
Certhius, & fati Cornix præſaga futuri;
Et Picus, tenuique placens Miliaria cantu.
Nonne vides? ut quæque ſuo contenta decore
Cunctas pandat opes; ſociarumque æmula ſortis
Præ reliquis noſtro celebrari carmine poſcat.

Inſignes oſtro, & pictas ferrugine plumas;
Et gratæ vocis diſcrimina jactat Achantis;
Exponit ſolito meliùs Philomela dolorem;
Ipſe etiam caudæ Pavo flabélla ſuperbæ
Explicat. Auratâ ſpectabilis advolat alâ
Galbulus. Amiſſum quid adhuc gemis Upupa natum?
Hîc quem quæris Ityn mutatâ agnoſce figurâ
Infelix Pater? Ut peregrino miſſus ab orbe
Pſittacus humanas facilis bene reddere voces,
Χαῖρε ſuum ingeminat. Sed qui comprendere verſu
Innumeras Volucrum ſpecies quas Indica tellus
Educat, externóſque velit dignoſcere mores:
Ille, quot ægregias bello devicerit urbes,
Quantaque diverſo Lodoix ex hoſte trophæa
Rettulerit, dicat potius, tantique triumphos
Principis enumeret, magnóſque recenſeat actus:
Non tamen ille meis indictus verſibus ibit,
E fortunatis Paſſer qui mittitur oris,
Paſſer amor Dryadum, cui non certaverit ulla
Dulciùs aut canere, aut totidem geſtare colores.
Sunt aliæ (obſcuro quas nomine fama recondit)
A patriâ nunquam viſæ diſcedere terrâ:

Seu faveat natura loci, ſeu prompta malorum
Hîc adſit medicina: alióve aſſueſcere cælo,
Externoque famem nequeant depellere victu.
Talis quæ Rheni Volucris prope littora vivit,
Cui tres erectæ ſic tanquam ſpicula plumæ
Conſurgunt capiti. An te nec fera prælia Martis,
Infelix ô ſemper Avis, nec funera terrent.
Aut hîc augurium volitas belli, aut ego certè
Crediderim, Samius cecinit ſi vera magiſter,
His fortes heroum animas inoleſcere membris.
Quidquid id eſt, mox ardentes mirabere pugnas,
Et tibi Gallorum Germano ex hoſte triumphus
Æternam ſpondet ventura in ſæcula pacem.

Nunc mihi Pan nemorum cuſtos, Dryadéſque puellæ
Parcite, nidorum ſi conſcia numina fallo;
Et formâ captos Avium, aut dulcedine cantûs
Aucupii proprium doceam, ſi tempus & artes.
Res tenuis: ſed ſi noſtras placuiſſe volucres
Contigerit: vatum donari munere, famâ,
Cur ego deſperem; & quanquam non fortibus alis
Hæ tamen immenſum poterunt me ferre per orbem.

Vere novo florum varios ſormoſa colores

Cùm ſummittit humus: ſylváſque & rura peragrat:
Blandus amor, ſociæ volucres adverte laboris
Contemplator, ubi ſecreta cubilia ponant:
Ut cùm veſtiri, exacto jam tempore, plumis
Incipient teneræ volucres, diſquirere nullus
Sit labor. Haud tamen incertis cognoſcere ſignis
Nidorum poteris ſedes: ſi quam æthera longo
Mulcentem cantu; & faſtidia cara levantem
Coniugis: aut pleno ſi ſæpius ore videbis
Dulcem ferre cibum: aut Avium tibi murmur ad aures
Nec bene formato veniet de gutture cantus.
Mollibus implumes durus jam detrahe nidis,
Nec miſeri matrum queſtus, aut ira retardent,
Nam teneras quamcumque voles formabis ad artem.
At tum præcipuas edico impendere curas
Exiléſque cibos in hiantia crebriùs ora
Inſerere; incluſas caveis ni ſedula mater
Inviſat; victumque ferat: nam ſæpe parentum
Suadet amor vel captivos educere fœtus.
Diſſectum cor ovis nullo tibi tempore deſit.
Has poſcit Philomela dapes, has Regulus optat;
Nec reliquæ Volucres eſcis communibus uti

Abnuerint, donec guſtum mox firmior ætas
Attulerit: norintque ſuos diſcernere victus.
Nil altoris egent aliquæ, ut gratiſſima Perdix,
Atque Coturnices curâ leviore tuendæ.
At teneros artus lædat ne frigidus aër,
Lethaléſque ferat morbos, turpéſque podagras:
Indue ſollicitus viridi cunabula panno,
Nec fœnum aut mollem pigeat ſubſternere muſcum.
Quas verò cantus & ſibila grata docebis,
Et queis eſt cicur ingenium, tractare juvabit
Sæpe manu, ipſis blandiri, ferre oſcula plumis,
Balbaque nonnunquam pueriliter edere verba.
Sic tibi ſylveſtres animi manſueſcere diſcent.
Tot volucres inter qui ſit delectus habendus
Cur ego præcipiam? cantu formâque decoras
Elige, vel variam modulantes gutture vocem.
Nec mihi diſpliceat tenui Paſſerculus ore,
Qui ſedeat digitis, humeris vel amabile pondus
Hæreat, & Dominum feſtivâ voce ſalutet.
Olli non minio roſtrum, non murice crura
Tincta micent: ſimplex non fulgeat iride collum,
Parcaque nec variis natura coloribus alas

Pinxerit: at multas docilis formatur ad artes.
Miſſus abire procul, pariterque redire vocatus,
Carpere mox gyros, & aperto currere roſtro
Vermis ad aſpectum: tenuem defendere caudam
Morſibus & ſaltu: brevibúſque inſurgere pennis,
Et cita mobilibus veſtigia ponere diſcit
Scandendo digitis. Primâ ſub origine mundi
Non equidem mores alios habuiſſe volucres
Crediderim: faciles nullis cogentibus ipſæ
Sponte ſuâ dominis aderant, tutæque ſedebant
In gremio, lætóſque dabant ſine munere cantus.
At mihi formoſas placeat ſuper illa Volucres
Quæ plumis poſſit virides hebetare Smaragdos
Pſittacus: illum adeo quanquam ſi parca recuſat
Pauperies, Græcus, duplici aut diſtincta colore
Pica tibi doctum referet benè garrula carmen.
Tu mihi Calliope memora quo munere divûm
His Avibus noſtras imitando effingere voces
Conceſſum. Mentes nuſquamne aperire Deorum
Inventæ? aut ipſis facundia priſca remanſit,
Ut meliùs Volucres aliæ ſua damna dolerent?
Num potius veſtro mater contenta triumpho

Mnemoſyne, victis quondam certamine Picis
Et meminiſſe dedit, doctáſque exprimere voces.
Has adeò dotes primus quis noverit, audi.
Paſtor Amynclæus cari poſt funera nati,
Triſtis ad antiquæ ſolitus confinia ſylvæ
Ducere neglectum nati pecus; ipſe doloris
Impatiens, quærenſque ſuo ſolatia amori,
Sol ubi jucundas contraxerat altior umbras,
Dumque relaxabat placidâ ſua membra quiete
Triſte pecus, ſoláſque gemit cùm Turtur ab ulmo;
Ingreſſus ſylvam, viridique effuſus in herbâ
Libera fræna dabat lacrymis, & pectore queſtus
Rumpebat: ſuſpiriaquē inter crebra vocabat
Extinctum Daphnim, Daphnim omnia reſpondebant.
Illum non reducem conjux dilecta videbat,
Quin iterum Daphnim ſerâ ſub nocte vocaſſet;
Hæc eadem cùm more ſuo loca Paſtor adiret;
Audiit exesâ venientem ex arbore vocem
Quæ crebros hominis gemitus Daphnimque referret:
Suſpicit. Ut miſeros nutrit ſpes credula, natum
Eſſe putat. Mox unde ſonus pervenit ad aures,
Ignarus poſitâ paulùm formidine quærit.

Ales erat (nomen noſtri tacuere Poëtæ)
Suſtulit hanc ; habuitque domi ſolamen amorum.
Apta tuas Volucres prudens hinc diſce docendi
Tempora : languentis medio nam Solis in æſtu
Et cùm ſomniferas veniens nox explicat alas,
Tùm tibi doctrinæ Volucrum alta ſilentia, certam
Spem facient : quas ſi fortè experiere docendo
Difficiles ; ideò tamen haud incæpta relinquas
Impatiens documenta : tuis aſſueſcere verbis
Paulatim incipient : nec longum tempus, & illas
Non ſua conari lætus mirabere verba.

Nec minor ad quaſdam cura eſt adhibenda Volucres.
Numquid enim dulcis cedet Linaria Graco,
Et Pica Spinum ante feret, nùm vocis honores ?
Illis humanas ſi fundere gutture voces
Non natura dedit : gratis at cantibus aures
Conceſſit mulcere hominum : at ſua ſibila lentè
Edere : at infuſos imitari in arundine ventos.
Necnon Byrrhiolas, Sturnus, Turdúſque, Calandraque
Hæc diſcent, ni doctorem mora longa fatiget.
Tempus, nec vanos Antho impendiſſe labores
Quis doleat ? quem cùm pedibus roſtroque tenaci

Appoſitas ſitulis lympháſque, cibóſque trahentem
Viderit obſervans; pueros moroſa noverca
Increpitet vitæ ſegnes, duroque labore
Vincere pauperiem doceat, victumque mereri.
Anthum fingendi maneat ſi digna cupido,
Tu primùm tenui trajecto fune ſub alis,
Hunc ſtomacho ſubnecte. dehinc ubi pondere corpus
Aſſuerit; geminam baculo ſuſpende ſitellam;
Quod ſupereſt volucrem ſitis ingenioſa docebit.
Ergo age: ſeu manſueta tibi & ſine labe Columba
Qualem, dum matris currus per inane Cupido
Ducit ovans, vellet ſtimulis agitare volantem;
Seu querulus placeat Turtur, ſeu garrula Perdix;
Has iterum moneo implumes detrudere nidis.
Aſt aliæ tutò volitent permitte volucres,
Dum melior fortuna ſinit, dum grandior ætas
Dum tempus, dum vernus amor connubia poſcunt;
Namque Avium domibus quantus dolor? orba negaret
Si mater fruſtrà pullis inhiantibus eſcas.
Sumere ſi licet à magnis exempla: dolores
Mæſtæ finge domûs captivo conjuge: fletur;
Blæſaque necquicquam natorum turba parentem

Advocat, & vacuas implet clamoribus ædes.
Haud equidem credo, quia ſit vis major amoris
Mortales inter ſua poſt connubia: namque
Infelix latè volucris loca queſtibus implet;
Repperiat donec media inter vincla maritum.
Tum querulæ junctis aliquot dant oſcula roſtris,
Dulceque miſcentes inter ſuſpiria murmur,
Extremos, primóſque ſimul teſtantur amores.
Illa gemens tandem in nidum incomitata recedit,
Et viduos repetit longùm dolitura Penates.
Ergò cùm primis Volucres gaudent hymenæis,
Intactæ tibi ſint; mox læta reducitur æſtas,
Et quas expedio poteris tunc artibus uti.
Sit licet incautas non res operoſa Volucres
Fallere: Paſtores tamen inter, erat ſua quondam
Gloria; ſi certis feſtum dùm fortè diebus
Pagus agit: quidam venandi extunderet artem
Quæ daret & pueris ludos, & fercula menſis.
Hinc variæ venêre artes, hinc nota puellis
Decipula, hinc laquei, hinc pedicæ, & circumlita viſco
Virgulta: hinc firmi madefacta in fæce Lyæi
Grana, quibus (Solis poſtquam ſiccaverit ardor)

Si veſcatur Avis, fruſtrà ſe tollere in auras
Ebria tentabit, longóſque extendere curſus,
Sed tibi ſe nullo ſiſtet capienda labore.

At ſi fraternis verum eſt hîc credere verbis
Tu primùm inventos caſſes poſuiſſe, Diana,
Diceris, atque etiam cameratis retibus uſa
Paſtores docuiſſe, greges captare volantum.
Ah, quoties tepidos Auſter dum cogitat imbres,
Venari nec feſſa ſinunt te membra, nec æſtus,
Tu ſocias inter contexere retia viſa es.
Nec fuit indignum, Nymphis plaudentibus, artem
Doctáſque oſtentare manus, celeréſque ſagittas,
Et liquidum celeri dum transvolat æthera pennâ
Exiguam certo volucrem transfigere telo.

Quid dicam adverſi qui ſplendida lumina Solis
Accipiunt, redduntque vitris radiantibus, atque
Deluſas fulgore trahunt in vincla volucres
Sic mortale genus, fallax dum ludit imago,
Ducitùr: atque ſibi nimiùm fatalia demens
Vincula, quæ proprio placeant ſub funere, nectit.
Quid qui viſcatas, aptâ ſuper arbore, virgas
Diſponit, parváſque ſibi bene providus ædes.

Conſtruit; & miſeram, ramis protectus & umbrâ,
Torquet Avem: aut calamo cantum ſic illice fingit
Ut veras imitetur Aves. Mox undique ſylva
Conſonat: accitæ veniunt clamoribus Anthos,
Pica, Parus, Thraupis, Merulæ., & ſine nomine vulgus
Agglomerat ſeſe, propiúſque accedere geſtit.
Et cùm accedentem tetigit medicata Volucrem
Virga heu! ecce magis, quo plus movet, implicat alas:
Illa cadens viſcóque ſuper correpta ſequaci
Implorat Dryadas gemitu, & fugere irrita tentat.
At tibi ſi captas nullus perſuadeat autor
(Non aptum jam tempus erit) cicurare Volucres,
Namque feros, cælo dum liberiore fruuntur,
Quos ſemel induerint nequeunt deponere mores.
Sed tua multiſono reſonent Aviaria cantu.
Ipſa autem ſeu fertilibus ponantur in hortis,
Aut aliâ ſeu parte domûs: à Sole faventes
Accipiant radios: Solis calor & fovet artus
Et recreat vires. Veteris nec neglige rimas
Parietis. Hac mures veniunt ad furta, neque illi
Appoſitas tantum eſſe dapes, ſed ſæpe Volucrum
Sævo dente pedes viſi corrodere: & omnem

Morſibus aligeram paulatim evertere gentem.
Nec poſtrema tibi cautos avertere feles
Cura ſit; Haud illis faciles impunè patebunt
Prædæ aditus: dentes unguéſque gerunt: cape ſaxa
Aut tua tela manu, & diram procul ejice peſtem.
At leves calami & ſeclusa cubilia vento
Adſint: & puri gelido de fonte liquores
Unde bibant artúſque lavent. Frondentibus arbos
(Cui teneros gravidæ poſſint committere fœtus)
Non hîc officiet ramis: nam prolis habendæ
Non tantùm ſpinos, alias ſed ſæpè Volucres
Sollicitat cura, & fuſo cum ſanguine, durus
Quæ ſuadebat amor, nonnunquam prælia vidi.
Una mares inter concivit fœmina turbas;
Illam dede neci, & belli compeſce furorem.
Illic cum cretâ tenues ſpargantur arenæ,
Creta malis medicamen erit; veſcuntur arenis
Interdum volucres, contractas ſive relaxant
Sæpè vias, ſeu ſunt ſapidæ crudusve per illas
Excoquitur cibus. At tepidi cùm lumina Solis
Invasère artus, lætus tremor ecce volucrum
Corpora pertentat; teſtantur gaudia cantu,

Pandentes alas: videas hinc inde moveri,
Atque volutari in mediis petulanter arenis.
Jam variis Avibus diverſa cibaria ſæpè
Largâ mitte manu: neque enim cibus omnibus idem
Sufficiat. Variis Torquilla, atque Upupa plumis
Carne ſuas revocant vires. Huic ſcilicet olim
Qui fuerat, miſeræ poſtquam alitis induit artus,
Si ſenſus manſiſſet adhuc; cœnæque nefandæ
Illa memor tales fugeret ſapientior eſcas.
Chloris amat milium, napi ſibi ſemina poſcunt
Spinus, Fringilla, & dulci Linaria cantu;
Cannabis aſt aliæ vivunt ex ſemine, ut Anthos,
Atque Rubetra, Batis, Thaupíſque & magna Volucrum
Turba: laboratæ Cereris modò munera jungas.
Has vult Pica dapes, Regiſque inſignia geſtans
Picus adhuc pennis, Sturnus, Merula, atque Calandra,
Galbulus, & guſtu volucris gratiſſima Turdus.
Pro molli cantu menſis ſervanda potentum
Non te parca manus, Miliaria, paſcat avenis.
At volucres inter longè imperioſior omnes
Mollitam vino Cererem, ni protinus adſit,
Segnitiem increpitans dominæ, famuláſque morantes

Pſittacus ore petit. Sed quarum nullus in alis
Eſt nitor & gratæ nulla eſt facundia linguæ:
Illas non ideò ſervare vetem. Sub amænis
Collibus inflexo lambit quos Sequana curſu
Meudonicam poſtquam vallem, atq; ſuperba PHILIPPI
Atria, Regaléſque hortos, & amæna vireta
Attigit, atque novum pulchris decus addidit agris.
Exigui ruris memini vidiſſe colonum
Contentum patrio fundo, laribúſque relictis,
Qui curas avibus ſolers impenderet omnes,
Et ſua non magno faceret commercia ſumptu.
Non illum pictæ ſuaviſſima gratia plumæ,
Non dulces avium cantus, non forma tenebant:
Verùm ſubtili ſapiunt quæcumque palato,
Gallinæque genus varium, pinguéſque Capones,
Et Gallos olìm quos India miſit, alebat.
Illi etiam Cypriis Avibus poſuiſſe Penates
Profuerat: molles illinc nam ſæpè Columbos
Detrudens aliis opibus jungebat; ut ipſe
Semper ab urbe domum multo gravis ære rediret.
At ſi multarum confuſo murmure voces
Non Avium placeant, geminas ſaltem elige: namque
Dum canit una, pares pulchræ vult æmula laudis

Altera mille modos, meliúſque effundere cantus.
Eſt tibi delectus facilis. Philomela canoras
Inter Aves longè præſtat, Linaria quamvis,
Nec Spinus, nec multùm adeò concedat Achantis;
Quæ verò primi nata eſt ſub tempora veris
Incultos inter ſentes, terníſque novata
Exuviis: non plumoſam lethalia lædent
Frigora, compluréſque canet victura per annos.
Obſcurâ in caveâ poſtquam conſtrinxeris alas
Luſciniæ, quam tu doctâ captaveris arte
Saltibus in mediis, hujus jejunia non te
Sollicitent, nondum caſus oblita prioris
Sex ſeptemve dies jejuna & muta quieſcet
Multa gemens libertatem. Suadere cupido
Quid vitæ nequeat? tandem jejunia ſolvet
Vermiculis. At tum frondes ſuper injice clathris
Adjunctam caveæ tuleris quâ parte papyrum,
Ut luci poſſit paulatim aſſueſcere; & aures
Flebilibus recreare modis, ac ſaxa movere
Incipiat clauſa, & primos dediſcat amores.
Multum adeò modico qui frigora temperat igne
Et panno viridante domum tegit, hanc juvat. Illi

Hæc

Hæc propter grates brumali tempore pendet
Cantibus, & primi renovabit gaudia veris.
Nec minus immundo caveas qui ſtercore purgat
Aſſiduè, prodeſt Avibus: nam exordia vitæ
Hinc ſumit dirum tineæ genus. Heu malè roſtro
Et pedibus fixam lateri depellere peſtem
Tentabunt. Albo Volucrum tum corpora vino
Ore fove, & calidis caveæ mergantur in undis.
Aſt huc delapſus dentur quæ ſigna docebo
Morborum; pariterque tibi medicamina dicam.
Morbi ſigna dabit Volucris manifeſta ſilendo:
Aut cùm languidulâ medicam triſtiſſima voce
Poſcet opem. Non tunc eheu viridantia mœſtum
Gramina, non domini repetita ſui oſcula poſſunt
Exhilarare animum: in plumis caput abditur; ægro
Disjicit ore dapes, & quam de fonte recentem
Hauſerat exultans nuper, jam reſpuit undam.
Quid cantus? quid forma brevis? quid ſimplice victu
Contentam vixiſſe juvat? modò ſæva podagra
Articulos crurum ſtringit. Privata videtur
Nunc oculis: circum plumæ criſpantur, & udæ
Humectant roſtrum lacrymæ. Nunc pectore anhelo

Flebile ſuſpirans aſperrima carmina fundit.
Sæpiùs idcircò ſanas purgare Volucres
Profuerit morbi quaſi tempore. Semina mitte
Lactucæ peponíſque & ſuaves quaſlibet herbas.
In potu intereà dulcis ponatur ad ipſos
Internos, cauſam morborum ut temperet æſtus.
Nulla tamen cœcis melior medicina, ſedile
Quàm ſi quis ficum poſuit: nam lucis amore
Irrequieta fricat Volucris dum lumina, manat
Abdita paulatim virtus ex arbore; quæ ſe
Inſinuans oculis humorem ſolvit iniquum
Gaudiaque afflictæ volucri cum lumine reddit.
Quod ſi majori labentia corpora morbo
Videris, immotoſque Avium ſine viribus artus;
Quod fit cùm cerebrum craſſus perfundit, & omnem
Spiritibus curſum vitalibus obſtruit humor:
Continuo roſtris chærphilli inferre liquorem
Cura ſit: at fallare cave. Hac ſanatur ab herbâ
Pſittacus, ad Stygias apium quem mitteret umbras;
Pinguis in extremo Volucris cùm puſtula lumbo
Naſcitur; & teneros febris depaſcitur artus:
Tùm verò triſtis nil ſecum immurmurat: at tu

Ulceris os ferro reſcinde, ſilentia poſthac
Rumpet Avis, medicoque dabit ſua præmia cantus.
Nunc juvat è Pindi tandem diſcedere ſylvis,
Et reducem levibus remis Aganippidos undas
Vertere. Proh? quantus Volucrum lætiſſima circum
Littora, & in medio ſe offert exercitus amne.
Te meritò venerantur Aves, ſtipantque natantem
Cycne decus fluviorum. At ſi cæleſtis origo
Neptunique genus, liquidi non jura dediſſet
Imperii; candor plumarum, & forma ſuperbi
Corporis illa daret, quæ non tibi denegat ortus.
Te dominum cognoſcat Anas: tibi ſerviat Anſer,
Iſte licet vigili quondam Capitolia voce
Servarit, Gallique ſuis à mænibus enſes
Reppulerit. Nec te Regum de ſanguine Mergus
Sollicitet, Nymphæ doleat furioſus amatæ
Funera, & unde manet nomen mergatur in undis.
Quid tu autem exemplum veri Pelicane parentis
Sanguinolenta lavas hîc pectora? Protinus inde
Quid fugiunt Fulicæ? Ut tremulis ſe ſuſtinet alis;
Et nunc ſubter aquam ſubitò delapſa, natantem
Piſciculum Volucris rapit: ut modò littora circum

Illa volat : modò ſumma levis decurrit Hirundo
Flumina. Sed feſſum quid jam me detinet, ecce
Tangitur, & facilis ſuadet deſcendere portus.
Si quis plura tamen cupiat cognoſcere, fontes
Bellaqueos, aut Verſalii miracula ruris
Stagna petat : liquidos illic poſuiſſe Penates
Omne genus Volucrum, ſeu quas alit ultimus orbis,
Sive peregrinas verſâ velut indole, Regis
Præſidio tutas mirabitur. Atque revolvens
Secum animo, ut fruſtrà ſocialibus ingruit armis,
Invidaque excidium Gallis Europa minatur :
Dum conjuratis Lodoix non hoſtibus impar
Dividit ingentes animos, ſeque omnibus unum
Objiciens pelago pariter, terrâque triumphat :
Tunc tantâ rerum perculſus imagine dicet :
Ni fruſtrà augurium veteres docuere magiſtri
Falſáque nonnunquam, Lodoix, dixere volucres;
Tot tibi ſubmiſſæ cunctis ex partibus orbis
Omen habent. Toti quondam dominabere mundo;
Aut vincentem alios animis ut robore reges
Victoremque tui, & nulli virtute ſecundum
Mox tua te pietas, atque inclyta cura tuorum

Æternam cogent populis concedere pacem.

Hæc volucrum ſuper ingenio, cultuque canebam
Dum malè firmatas ſociali fœdere vires
Senſerat ad Fleurum Batavus, victique Britanni
Ereptum imperium Pelagi claſſemque dolebant.

FINIS.

AVIUM
quæ hoc Carmine continentur NOMINA.

Achantis, Chardonneret,
Ægithalus, Gros-Bec.
Anas, Canard.
Anſer, Oye.
Anthos, Bruant.
Aſterias, Lanier.
Batis, Gorge-Rouge.
Byrrhiolas, Pivoine.
Calandra, Calande.
Capo, Chapon.
Cetthius, Grimpereau.
Chloris, Verdier.
Cinclus, Hauſſe-Queuë ou Bergeronnette.
Circus, Sacre,
Columba, } Pigeon.
Columbus, }
Cornix, Corneille.
Coturnix, Caille.
Cucullus, Coucou.
Curruca, Verdon.
Cycnus, Cygne.
Fringilla, Pinſon.
Fulica, Poule-d'eau.
Galbulus vel *Galgulus*, Loriot
Gallina, Poule.

Gallus Indicus, Coq-d'Inde.
Graculus vel *Gracus*, Geay.
Linaria, Linotte.
Luſcinia, vel *Philomela*, Roſſignol.
Mergus, Plongeon.
Merula, Merle.
Miliaria, Hortolan.
Milvus, Milan.
Niſus, Hebereau.
Parus, Meſſange.
Paſſer, vel *Paſſerculus*, Moineau.
Pavo, Paon.
Pelicanus, Pelican.
Percidius, Mouchet.
Perdix, Perdrix.
Phaſidis ales, Faiſan.
Pica, Pie.
Picus viridis, Pic-verd.
Picus, Pimart.
Progne vel *Hirundo* Hirondelle.
Pſittacus, Perroquet.
Regulus, Roitelet.
Rubetra, Rouſſelette.
Spinus, Serin.
Sturnus, Sanſonnet *ou* Etourneau.
Thraupis, Tarrin.
Torquilla, Torcol, *ou* Torticoli.
Turdus, Grive.
Turtur, Tourterelle.
Upupa, Pupu *ou* Hupe.

AD

ILLUSTRISSIMUM ECCLESIÆ PRINCIPEM LUDOVICUM ANTONIUM DE NOAILLES,

Pariſienſium Archiepiſcopum,

DUCEM AC PAREM FRANCIÆ.

Cum in Regium Ludovici Magni Collegium Societatis JESU *veniſſet,*

GRATIARVM ACTIO.

GRande decus Muſarum, & docti gloria Pindi;
 NOALIDE, quo nil Infula majus habet;
Si, nova cur ad te venio modo littera, quæris;
 Ad tua me dominus tecta venire jubet.
Quòd venio, magnis dum dividis otia rebus,
 Si rea ſum, domini ſum rea facta manu.
Ille tibi hæc ſcribens, luciſque haud immemor hujus;
 Quâ primùm es noſtras viſus adire domos;
Plaudere tempus, ait: Quando, tali hoſpite, cauſa
 Plaudendi vel erit juſta, fuitve magis?

Plaudere nec ſatis eſt : meritas, mea littera, grates
Munere pro tanto, quo licet ore, refer.
Si vis forte pares donoque, & dantis amori
Reddere; præmoneo, jam tacuiſſe potes.
Si mihi, ſi ſociis qui ſint ſub pectore ſenſus,
Dicere; præmoneo, jam tacuiſſe potes.
Non ea ſunt, mihi quæ liceat comprehendere verſu;
Réſque tuis major viribus illa foret.
I tamen, & quamvis non poſſis æqua referre,
(Gratus eram, poſſes æqua referre, minus.)
Dic fore me, ſocióſque, animus namq; omnibus idem;
Dic fore me memorem ſemper, ut eſſe decet.
Quid dubitas? Mitramne times, Soliumq; verendum;
Et ſua quæ pietas præmia digna tulit?
Pone metum. Tantus cùm ſit, mirabere vultus
Tam placidos, prior ut porrigat ipſe manum.
Quòd ſine Patrono venias, magis inde placebis:
Sic dabitur citius Præſulis ore frui.
Quòd neque culta nimis, neque vano turgida faſtu;
Convenies melius moribus ipſa ſuis.
Ingenioſa parum es: ſed cùm docta ora videbis,
Inde, reor, fies ingenioſa magis.
Vade age, quid dubitas? Quæ verſu ſimplice gaudes
Littera, ſi placeat nomina magna loqui;

Noaliden ſatis eſt titulo præfigere. Pondus

Afferet hic veſtris, quo caruere, modis.

Plura loquebatur, cùm me dimiſit euntem;

Increpitanſque, & adhuc lenta moraris? ait.

Huc ego, vitarem domini ſi forte querelas,

Et poſſem ſacrâ tutior eſſe domo;

Huc ego, quàm potui properare celerrima, veni.

Necquicquam: heu! fateor, littera ſera nimis.

Sera nimis veni. Sed, ſi vacat, accipe cauſam.

Cauſa mihi tantæ non fuit una moræ.

Prima, quòd ut domino ſic & mihi littera, Præſul,

Par meritis viſa eſt nulla futura tuis.

Altera, quòd, domino quanquam increpitante, timebam

Suſcipere imprudens, quod timuiſſet, onus:

Atque ita, dum renuo, dum contra præcipit ille,

Dum quæro tempus fallere, tempus abit.

Dicta mihi gemina eſt ratio, ſed tertia reſtat:

Nemo erat incertæ duxve comeſve viæ.

Unde ego pro ducibus dum famæ murmura capto,

Et feror huc, de te laus ubi multa foret:

Obfuit hoc, prodeſſe mihi quod poſſe putabam;

Senſi Noaliden omnibus eſſe locis.

Error erat: ſed erat mihi dulce errare per Urbem;

Atque avidâ laudes aure bibiſſe tuas.

Sæpius hinc decepta, & anhelo exercita curſu
Vix bene ad iſta pedem limina vixque tuli.
Quod precor ignoſcas, qui nulli ignoſcere neſcis:
Hoc a te potius munus habere velim.
Me miſeram! Quin te laudum præconia tangunt?
Hinc mea, ſi mala ſit, quàm bona cauſa foret!
Namque ego præteritã memorando ex ordine pompam
Per laudes quoties cogerer ire tuas!
Ut primum ad noſtros, media inter gaudia plebis,
Veniſti curru præcipitante lares;
Ut fremuere omnes animis, plauſumque dedere!
Laudibus ut Pindus plaudit & ipſe tuis!
Nec dubitem Pueros illos quoque dicere, virtus
Quos tua facundos reddidit ante diem.
Cunctis forma decens, & magni nominis index:
Par formæ ingenium, par genus ingenio.
Innocui, unde tuos poſſes agnoſcere, mores:
Candida mens, menti concolor ipſa tuæ.
Vivite felices pueri, quos Mitra repoſcit,
Quos Toga, quos placiti nobile Martis opus.
Dum loquor, interea ſua munera quiſque ferebat
Parva quidem, ex animo munera magna tamen,
Munera carmen erant. Quæ quanto fœnore reddis,
Cùm legis, & carmen, quod legis, ipſe probas!

Parte aliâ Orator tota applaudente coronâ
Incipit, & populi gaudia voce refert.
Nunc Proavos laudans & avitæ ſtemmata gentis,
Sex memorat per quæ ſæcula crevit honos;
Muneraque ad pacis Majores prima vocatos,
Bellaque victrici multa peracta manu;
Hugoniſque, Annæque, & Fratrum fortia facta;
Factaque cum dicat plurima, plura tacet.
Nunc te Paſtorem caro gratatur ovili,
Qui populi votis ante petitus eras.
Nunc afflictam inopum, per aperta pericula, turbam
Te meminit certæ ſubripuiſſe neci:
Abſumpſiſſe tuos in publica commoda cenſus.
Pars quota de meritis laudibus illa fuit?
Has taceo, poſſim ne diſplicuiſſe videri,
Neve moræ & laudum crimina bina feram.
Finierat. Cætu in medio fit plauſus, & ultro
Turba oratoris fungitur ipſa vices.
Ingeminant pueri plauſum, longumque per auras
Vivat, Io: ingeminant compita, Vivat, Io.
Quæ dominus populi rata ſint dum vota precatur,
Hoc quoque me juſſit dicere, Vivat, Io.

PETRUS DE GOVILLE,
Soc. JESU.

ECCLESIA PARISIENSIS
CATALAUNENSEM ECCLESIAM
SOLATUR.

ELEGIA.

QUam legis, hæc inſcripta venit tibi littera ab Urbe
Jacturis dives quæ modo facta tuis.
Illa venit non culta ſatis, ſed parce, tumultus
Me facit ingenii parte carere mei.
Dum loquor, ingeminat plauſus, feſtoque ſub auras
Murmure NOALIDEN, clamor adeſſe refert.
Jam canit ore potens JUVENCIUS, atque canendo
Convocat in ſacros agmina docta choros.
Mollibus hic Elegis, hic verſu grande ſonanti,
Liberius laxis plaudit & ille modis.
Quid juvat, ah! plauſus, dices, memorare ſuperbos?
Quis furor eſt miſeræ gaudia veſtra loqui?
Nonne ſatis magno languebam perdita luctu,
Ut veniat nobis hac quoque parte dolor?
Falleris; eſt etiam plauſu ſolamen in illo,
Et poterit luctus attenuare tuos.

Non capitur noſtro, quem luges, carmine Præſul;
Undique dum circum plauditur, ille gemit.
Ille ſibi adſcriptos ſpreviſſe videtur honores,
Uniúſque memor creditur eſſe tui.
Namque idem, tot laudum inter præconia, ſi quæ,
Ut fit ſæpe, tuum carmina nomen habent;
Tum vero exultat, vultuſque ſerenat amœnos
Lætior, & nutu ſe probat eſſe tuum.
I nunc, & jactes triſtem invidioſa querelam:
Hoc pretio ſic nos & caruiſſe juvet,
Pone igitur mœſtos dudum male turbida luctus,
Deſine ſublato Præſule fata queri.
Parce diem infeſtis pulchrum temerare querelis,
Lætitiam inficiat neu tua culpa meam.
Feſta Deus ſi quando ſibi præcepit, honores
Turbari lacrymis non amat ipſe ſuos.
Dic age, virtutem num ſic latuiſſe decebat?
An luce invitam proſperiore frui?
Finge tibi raptum: Numquid ſua munera numen
Seu dare, ſeu placeat tollere, jure poteſt?
Cede mihi quem fata jubent, liquiſſe coactum
Hoc ſatis, hoc poteris dicere, Noſter abit.
Digna quidem fueras (quanquam tamen ipſa negares)
Te quoque, ſed Româ, judice dignus erat.

Aſpicis ut varios paſſim natura per agros
Volvere fœcundas flumina juſſit aquas?
Par fuit hunc etiam non unâ in ſede morari,
Dives ut in multos fundere poſſit opes.
Non tibi Præſul erit, poterit tamen eſſe Patronus;
Altius erectus proderit inde magis;
Inde tibi attentus fungetur munere Divûm,
Qui vel ab æthereâ nos procul arce juvant.
Scilicet & plantas propior quas extulit olim
Sublimi longe Phœbus ab axe fovet.
Nec tamen uſque adeo mentem tua commoda tangant,
Præſulis ut ſtudio non moveare magis.
Nitimur ah! fruſtra lacrymas cohibere fluentes,
Quas meruit Præſul, quas tuus urget amor.
Flere licet, quoniam tanta eſt fleviſſe voluptas,
Quanta fuit nunquam, cauſa doloris adeſt,
Quod potes, effuſos at ſaltem comprime queſtus;
Sub tacito innocuus pectore luctus erit.
Sic bona mœrentem ſolentur Numina; & alter
NOALIDES fratris ſuppleat ipſe vices.

JUL. HERVIEU, SOC. JESU.

SEQUANA ET MATRONA.

CARMEN AMABÆUM.

Seq. EIA age, chara Soror, tua cur puriſſima quondam,
Turbida jam in noſtros defluit unda ſinus?
Matr. Unde dolor? Namque hunc fecit dolor eſſe colorem,
Mutatus lachrymis qui ſolet eſſe color.
Unde dolor! nempe hunc tam flebile murmur aquarũ
Non dixit? toto cognitus orbe dolor.
Ah utinam medio mihi fas areſcere curſu,
Aut fugere extremum fontis ad uſque caput!
Sed Nymphæ, ſic fata volunt, ſervire Sorori
Cogor ego, & probri teſtis adeſſe mei!
Ergo mihi eriperis noſtræ unica gloria ripæ
NOALIDE! ſic nos non redituræ fugis!
Non rediture fugis! nec te pia vota tuorum,
Namq; & adhuc pater es, quod remoretur, habent!
Matr. Mitte procul mitte ingratos de pectore queſtus,
Non bene conveniat queſtibus iſta dies.
Quin mecum potius Reginæ cantibus urbis
Huc ades, & placido flumine necte moram!

Necte moram, magnum brevis hæc mora fœnus habe-
Mox & in æquoreas lętior ibis aquas. (bit.
Aure bibe arrectâ, quod in amplâ perſonat urbe,
Laudibus ipſa viri eſt urbs, licet ampla, minor.
Noaliden urbs tota fremit, vox omnibus una eſt
Ingeminant paſſim compita Noaliden
Noaliden Sanctum, laus illi hęc maxima lau-
Laus hæc Noalio ſcilicet una ſapit. (dum eſt,
Mart. Sic diſcedentem Catalauni urbs tota ſecuta eſt.
Hei mihi non potuit triſtius eſſe vale.
Matres atque Viri & neglecto crine puellæ
Siccine clamabant, ſiccine Paſtor abis!
Littora, Paſtor abis, toties percuſſa ſonabant;
Reddebant valles undique, Paſtor abis.
Seq. At neque ſola viro pietas dat nobile nomen;
Jure tamen pietas prima locanda fuit
Candida mens rectique tenax: vis blanda volentes
Ut placitum eſt animos, quô libet ire, trahens;
Mens ſolida, indociliſque rapi popularibus auris,
Sed quæ prudenti ſingula lançe probet.
Matr. Vidimus hæc oculis, tibi tantum cognita famâ;
Famaque non mendax, ut ſolet eſſe, fuit.
Quanquam ô! cur de te, Præsul, tot fama lo-
Forſan noſter adhuc, ſi tacuiſſet, eras. (cuta eſt

Seq. Hinc tibi prima mali labes, & cauſa dolendi eſt,
PASTORIS virtus obfuit ipſa gregi.
Matr. Hei mihi! quid juvit Regem quod viſeret anno
Vix ſemel, & paucos eſſet in Urbe dies.
Sperabam, quanquam PASTORIS cognita virtus
Maxima ſub MAGNO PRINCIPE cauſa metus.
Seq. Parce, Soror, virtus male tanta lateret in umbrâ,
Jam pridem claro digna micare die eſt.
Matr. Umbram quid memoras? ſe PASTOR amabat in umbra
Et, ſinerent ſuperi! dulcior umbra foret.
Seq. Umbram quiſquis amat, cuique eſt tam dulce latere,
Primo ſublimis debuit eſſe loco.
Sed quorſum iſta moror? quin mecum fœdere juncto
Communi certas Nympha placere PATRI.
Nam communis erit (ne dividat ulla Sorores
Invidia) & quà fas unus utrique Pater.
Hic ubi confluere incipimus ſocialibus undis,
Atque tuo majus munere flumen eo,
PRÆSULIS hic domus eſt; poſitis ubi debita curis
Dulces propter aquas otia parcus aget.
Huc tua vota feres populique fidelis amorem,
Hic noto PATRIS fas erit ore frui:
Matr. O Soror, ô vere mihi nunc Soror, ibo volenteſque
Huc curſu fluctus præcipitante feram.

Nec tantum charos lambam vicina penates;
Aut tollam ripis omnibus alta caput.
Quin iter anguſtum cultis rimabor in hortis.
Subter humum, ut videam quâ licet arte PATREM.

ANDR. LE CAMUS Soc. JESU

MUSARUM
IN REGIO
LUD. MAGNI CONVICTU
FESTI PLAUSUS
CUM EAS INVISERET.

FORTUNATA domus, quâ ſe primùm arce recepit
Phœbus, & Aoniæ Sedem elegere camænæ
Montibus extorres patriis, tua limina quando
Ipſe ſubit, teque hoc facilis dignatur honore
Ante alias Præſul, memores, age, præcipe cantus

Non uſquam melius, non ſic ceciniſſe juvabit.
Nec mora, præcipites fervere per atria Muſas
Aſpicio, & cytharas certatim aptare frementes
Nobilibus numeris, tuus unde ô Maxime Præſul,
Quà fas creſcat honor, creſcat quoque fama tuorum.
Ipſa adeo ſacra URANIE, & Mavortia juxta
CALLIOPE Soror, ut dulces mediæ inter alumnos,
Adventare ultro, teque ad ſua tecta, NOALLI,
Ire viam ſenſere, animos ſubit æmulus ardor
Continuo: rapuere lyram, alterniſque canentes
Hæc referunt juvenum ad turbam: referentibus illis
Tecta ſilent, ſtupefacta tenet circum ora juventus.
URANIE.) O mihi quæ Sanctas, Ætas pia, creſcis ad aras,
Ætas Præſulibus quondam aſcribenda futuris,
Hæc tua magna dies, venit ecce NOALLIUS ingens;
Cui candor morum comes, & mens neſcia faſtus,
Cui virtus ſincera animi, pietaſque, modeſtuſque
Oris honos; age blanda ætas, age, Præſule tanto
Virtutum exemplum, & pietatis concipe amorem.
CALLIOPE) O mea nobilitas, & qui mihi creſcis in arma
Heroüm ſanguis! venit ecce NOALLIUS ingens,
Et ſecum fratriſque decus, facta, inclyta facta,
Secum

Secum atavos, famamque domûs vehit. Omine tanto
Augurium bellorum, & Martis concipe amorem.

Uranie.) Hœret adhuc animo, quanto mihi
corda timore
Perculerat, cum ſe populo poſcente negaret
Grandibus obluctans fatis: dum pugnat honori,
Illius ut reliquas ignoret Gallia dotes,
Scilicet hoc uno poterat meruiſſe videri.

Call.) Hæret adhuc animo, trepidis qui terror Iberis
Frater erat, lecta Heſperiæ cum robora pubis
Contudit, & pavidam Madriti exterruit aulam.
Illius ut reliquos tacuiſſet Fama triumphos,
Ut Rhodam, ut Palamum, fatalemq; arce
Gerondam,
Scilicet hoc uno poterat Mars alter haberi.

Uran) Matrona, quà vacuas Catalauni alla-
beris arces,
Hoſpitium venerare loci; mihi litore ab illo
Quippe venit, Dominamque trahi vix paſſus in ur-
bem eſt.
O quibus hunc populi lachrymis flevere abeuntem!
Qui gemitus! Sancto cum circumfuſa parenti
Extremum alloquium bona plebs accepit, & ipſum;

Ipſum unà, pariterque rapi ſua gaudia vidit.

* Le Ter. CALL.) * Sambroca, Extremam Gothaland litoris oram
Qui peragras, ripamque horres hinc inde cruentam;
Caſtraque ſemiruta, & disjectas aggere moles;
Fortunam venerare loci; ſibi littore ab illo
Quippe tulit Laurum æternam. At vis invida morbi
Quid revocas, medioſque adigis male rumpere curſus?
O quibus hunc Hiſpani animis ſenſere jacentem!
Qui fremitus! tanto cum ſe demum hoſte levari,
Perque altam videre ægrum remeare Pyrenem.

URAN.) Sed quid ego externi refero monimenta doloris?
Civibus iſte aliis fuerit dolor; otia noſtros
Læta juvent, faciatque novus nova gaudia Paſtor.

CALL.) Sed quid ego Hiſpanæ refero mala gaudia gentis?
Nec juſtus deſit longum dolor; otia Iberos
Nulla juvent, faciatque novum nova damna pudorem.

URAN.) Dulce vigil pecori Paſtor, dulce inter ovilis
Deffendi ſepta, & dentes arcere luporum.

Fallor? an hæc ipſa eſt Pariſinæ plebis Imago?

C a l l.) Triſte manum ſemper nec Diis, nec viribus æquis

Conſerere, & priſcis damnum ſuperaddere damnis.

Fallor? an hæc ipſa eſt Gothalanæ gentis Imago?

U r a n.) Ergo rite tuas iſto de monte quotannis,

Rite tuas laudes referemus: Laudibus ipſos

Demulcent ſuperos Muſæ; haud præſagia fallunt;

Et te præſul amant, & amabis tu quoque Muſas.

C a l l.) Tu quoque, tu Muſas fortiſſime frater, amabis,

Et decet iſte Duces magnos amor: inclyta Muſis

Argumenta feres, referent tibi carmina Muſæ.

Hæc illæ, & plauſu procul aſſonuere ſecundo

Vicini montes, plauſum alma Lutetia late

Reddidit. Interea populo acclamante propinquat

Curru in ſublimi Præſul: jamque ecce ſub altis

Infert ſe portis, Divæ quem à limine ducunt

Per medios aulæ fremitus; illum ire videres

Purpureis extantem humeris, & lumine amico

Singula luſtrantem circum. Denſo agmine turba

Seſe urget, paſcitque oculos, fruiturque videndo.

Illum frontis honos, pudor illum & gratia vultûs,

Majeſtas illum facilis capit, ille renarrat

Virtuteſque, genuſque viri. At vox omnibus unà
Uſque ſonat, ſuperaſque alte geminatur in auras,
Vivat. Io, vivat Præſul novus, & bona nobis
Quæ fecere, diu ſervent ſua munera Divi.

FRANCISCUS TARILLON Soc. JESU.

AD EUNDEM
ILLUSTRISSIMUM
ECCLESIÆ PRINCIPEM.

ODE.

ADESTE, Muſæ, nunc citharis opus;
Lætam invidendâ ſorte Lutetiam,
Datumque Paſtorem canoro
Tempus erat celebrare verſu.
Non ille veſtris, Pierides, choris
Ignota præfert nomina: non recens
Decus, NOALLÆOSVE dulci
Primùm hodie ceciniſtis ore

Heroas. Ipſâ pridem ab origine
Devota Marti pectora Gallico
Geſtabat HUGO, Franca ſævus
Dum tremuit Saracenus arma;
Ab hoc nepotes didita in ultimos
Ad noſtra virtus tempora tranſiit:
Lateque ſeu terrâ frequentes
Sive mari retulere palmas
Fortes NOALLI. Quis Gothalanicis
Deleta campis agmina, & hoſtico
Demerſa neſcivit cruore, &
Arva truci populata ferro?
Stabat præalti margine fluminis,
Valloque tectus triplice Cantaber,
Surgebat indignans profundis
Vorticibus, facilemque Franco
Viam negabat * Sambroca militi. *le Ter.
At non retardat NOALIDEN: ruit
Præſentis oblitus pericli
Oppoſitaſque petit phalanges
Natans juventus. Effera territos
Cohors Leonum ceu furit in greges
Impunè; ſic Gallus fugatas
Demetit intrepidus catervas.

Hinc tota victorem accipiunt Ducem
Ultrò recluſis oppida mœnibus :
Hinc ipſa Francorum repulſum
Ferre jugum indocilis Gerunda ,
Certoque Divûm præſidio ferox ,
Dum Marte quondam bella gerit pio ,
Senſit quid heros poſſet, armis
Neſcius aut pietate vinci.
Reſtabat alter Noalidis honos ,
Pugnare ſummi prælia Numinis ,
Sacriſque jungendo profanas
Laude novâ cumulare lauros.
Per te, Noalli, gens habet hoc tua :
Addictus aris, ac melioribus
Flammis inardeſcens , cruentos
Fratribus, Heſperiæ pavorem ,
Relinquis enſes. Nec mora , tu novam
Chriſto profeſſus militiam duce
Jam caſtra fraternis priora ,
Atque alios ſequeris triumphos.
Ergo & paternæ delicias domûs ,
Aulæque blandum deſeris otium ,
Cruci litaturus beatæ ,
Et cupidus potioris ævi.

Taſem Cadurcus te videt, ac ſuis
Veniſſe dignum prædicat Inſulis:
Talem Tricaſſinæ propinquus
Te memorat Catalaunus oræ.
Ubique Sanctos Præſulis optimi
Adis labores : non inopum caſas
Horreſcis, & quæ tecta diris
Mors habitat comitata Morbis.
Tollit ſerenum te caput auſpice
Secura virtus : aurea Pax viget,
Et Candor, æternumque primos
Cana Fides habitura vultus.
Hinc, quis eſſes, Fama procul tulit,
Arctis teneri neſcia finibus.
His te rudimentis abundè
Promeritum Lodoicus, æquos
Virtuti honores impiger addere,
Regni ſupremâ munerat Inſulâ:
Tu mille jam votis petitus,
Vota tamen, licet ampla, vincis.

Franc. Xaverius Champion
Soc. Jesu.

CUM AD LAUDES NOVI Pariſienſium Archiepiſcopi celebrandas Joſephus Juvencius verbo & exemplo Vates invitaſſet.

ODE.

QUIS me carmine provocat,
Et blandi illecebras invidet otii
Vates? Anne JUVENCIUS,
Plauſum inter populorum, auribus obſtrepit
Ceſſantem increpitans lyram,
Paſtoremque novum dicere præcipit?
Atqui hoc NOALIDES vetat
Laudari impatiens. Cernis, uti pudor,
Vel ſic carmine dignior,
Laudes ingenuus, quas meruit, timet?
Sed fac gloriolæ brevi
Fumo poſſe capi. Publica gaudia
Inter, quid citharâ eſt opus?
Paſtori & Proceres, & populum audio
Gratari ſtudio pari:

En

En ipſe, en tumidis ambitioſiùs
Plaudit Sequana fluctibus;
Jamque Urbe in Dominâ ſponte trahens moras;
Ut ſeſe magis hîc amat!
At nos grande licet, nomen inutile,
Vates, quid facimus, precor?
Merces ipſa ſibi, ſufficit unica
Virtus. Optime Præſulum,
Quo majus poterat nil precibus dari;
Nec te Pacis honoribus
Inſignes Proavi, & pulvere Martio
Æternent, meriti neque
Plauſus, nec geminis fratribus additum
Et terrâ imperium, & mari.
Sperne hæc: at melior gloria te manet
Tranſmittenda nepotibus,
Quòd Fletus Inopum, quòd Querimoniæ, &
Expers conſilii Fames
Diffugêre. Vices quis timet aſperas
Te Paſtore? Benignior
Tecum, Noalide, ſpes miſeris rediţ;
Urbis quàm bene Romulæ
Unâ ſede minor Pontificem refers!
Seu cum difficilem arbiter

Audis cauſam Inopum, damnaque publica
Damno reſtituis tuo:
Seu cum virgineis in penetralibus
Subducis malè perditas
Morbiſque, atque fami, & flagitio nurus;
Senſit ruſtica plebs opem,
Cum grato agricolas, innocuum genus;
Præſens munere ſublevas:
Ille & ſenſit opem, quem retinet Pudor;
Pejus Pauperie malum;
Atque ignorat adhuc, quis Deus adfuit:
Neſciri uſque adeò placet.
Vates ut ſileant, hæc tamen audiet
Ætas ſera. Neceſſitas
Eſt quem dura premit carceris in ſpecu:
Idem ſi pede libero
Inſultare ſolo geſtit ovans, Tui
Totum muneris hoc fuit.
Talem te attonitus plus vice ſimplici
Vidit Matrona ferreos
Gaudentem ære dato rumpere carceres:
Vidit mille laboribus
Iraſque, atque Odia, & Tartareum Scelus;
Rixaſque indociles ſuis

Reddentem Tenebris : aut humiles caſas
Viſentem, & viduas domos,
Morſu lethifero cum malè pertinax
Hæſit corporibus lues.
At qui curam Ovium ſollicitus geris,
Curam Paſtor habe tui.
En te dira lues, me miſerum ! petit,
Per quem publica ſtat ſalus
Urbis. Qui tuus eſt, fit dolor omnium.
Lugent flebilibus modis
Matres atque viri : turbaque pauperum
Lugent, morte vicariâ
Fortunata ſuum ſi redimant Patrem.
Auget civium amor metum,
Et qui pulchri operis non timidus comes
Pulchro funere tollitur.
Fallor ? jam facili res propior Deus
Noſtras lumine reſpicit ?
Sic eſt : cara Deo plaude Lutetia :
Vivit NOALIDES tibi.
Necquicquam hunc querulo Matrona gurgite
Ereptum repetat : ſua
Debet, ſeque meo Matrona Sequanæ.
Morti victima liberæ

Qui ſeſe obtulerat, vivit, & altiùs
Tollit de ſolio caput:
Votis, ô utinam, quod ſupereſt, diu!

PETRUS DE GOVILLE
Soc. JESU.

SYMBOLUM HEROICUM
Sol in medio cælo.

LEMMA

ALTIOR IMA RESPICIT.

DUM caput ambroſium cælo Sol aureus effert
RESPICIT IMA MAGIS, quò magis alta petit.
Sic quos paupertas plebem detruſit in imam
Alloquiis recreas, ô NOALÆE, tuis:
Neve, humiles adeò, votis te ambire verentur.
Quò magis alta tenes, RESPICIS IMA MAGIS

NICOLAUS CLIGNET
Soc. JESU.

SYMBOLUM HEROICUM.

Navis cum ſtella polari.

LEMMA

Hoc duce tuta.

O Navis longo quamvis exercita curſu,
Parce tamen fidas viribus ipſa tuis.
Vitaris Syrtes licet atque horrentia Saxis
Littora, non ideo nulla timenda manent.
Stant medio Scopuli latitantes æquore, & alto
Ventorum ſurgunt prælia ſæpe mari.
Hæc memor ut longe præſeiſcas, reſpice amicum
Sydus, eris tantis Hoc Duce tuta malis.
Ergo tuis Noalæ Lutetia credita curis
Te ſibi præfulgens cernere Sydus amat.
Si quando in ſcopulos tacitus deduxerit error,
Aut vitiorum atro turbine ſævit hyems:
Unde ſibi ſperata ſalus huc lumina flectet;
Securam & carpet te Duce tuta viam.

Nicolaus Clignet
Soc. Jesu.

SYMBOLUM HEROICUM.

Sol aſcendens.

LEMMA

QUÒ MAGIS ASCENDIT TANTO MAGIS ILLE REFULGET.

CUm ſol mane novo curſu conſueta perenni
Penſa redorditur ; lucem quam ſuſtulit almam
Reſtituens terris ; non ſeſe protinus omnem
Oſtendit ; quamvis flammas radioſque micantes
Contineat flagrante ſinu ; & remeabile centrum
Gyret inexhauſtæ vivacia ſemina lucis.
Scilicet obliquâ cæli regione recepto
Non datur immenſos evolvere luminis ignes,
Ergo paulatim nitido caput exerit ortu
Præſagitque diem lætam ; modo purior exit
Enitens ſurſum ; mediâ mox parte recluſas
Pandit largus opes ; pleno mox altior orbe
Emicat & totos mundo communicat ignes.
QUO MAGIS ASCENDIT, TANTO
MAGIS ILLE REFULGET;
Celatæque diu reparat diſpendia lucis.

Sic tua, Noallii, ſenſim dextro omine virtus
Exoriens primis ſeſe teſtatur ab annis.
Dein ubi ſacra tuam cingunt diademata frontem,
Terque ſuum fœlix populo acclamante Cadurcum
Paſtorem agnoſcit; ſeſe novus explicat ultro
Virtutis ſplendor: carum, quod paſcis, ovile
Jam cultu meliore nitet: pietatis amorem
Inſpiras pius, & vitium non ſegnior urges.
Quis Paſtoris opem non eſt expertus amicam
Rebus in adverſis? quando illum carceris horror
Avertit, vel dira lues, vel mortis Imago?
Ultima languentes morbo quos advocat hora;
Lætus adit, ſolers maturos reddere cælo.
Sed non illa ſeges tanto ſatis ampla labori:
Parte ſui tantum apparet, nondum exprimit omnes
Virtutis radios, ſpatio breviore coruſcat:
Anguſtumque nimis Catalaunum exporrigit æquor.
Jam ſolio majore ſedet, jam lumina fundit
Plena per immenſos, quos lambit Sequana, campos;
QUO MAGIS ASCENDIT, TANTO MAGIS ILLE REFULGET.

Car. Franc. Charlevax
Soc. Jesu,

SYMBOLUM HEROICUM.

Nilus inundans.

LEMMA

A PIÙ BASSO, PIÙ SE DONA.

CErnis ut exundans Nilus terram impleat undis
Et pingues alveo divite fundat aquas.
Ille tamen, cunctis ſeſe dum dividit, amnis
Non ſimili cunctis pondere donat opes.
Quò depreſſa magis tellus, plus divitis undæ
Accipit: & ſiccos permeat unda ſinus.
Sic omnes cunctis curas dum, maxime Præſul,
Dividis, & juſto pondere fundis opes.
Quò depreſſa magis paupertas ſiccaque languet,
Plus fundis, plus, quo vilior illa, capit.

PHILIPPUS D'INVILLE
Soc. JESU.

VA1
1527701

18h
H
37

Digitized by Google